

sen ratifico, approbo emptionem, idem acquirō dominium & possessionem rei, ac si à Procuratore expressum mandatum ad id habente fuisset empti. arg. l. si ego. 24. ff. de Negot. g. ff.

9 Item si quis sine meo mandato, nomine tamen meo percussit Clericum, & ego postea ratum habeo, aequè excommunicatus sum, ac si prius ad id dedissem mandatum. textu expresso c. penult. de Sentent. Excommuni. in 6. Sic rarius, si alius me etiam inficio, sed meo nomine aliquem deiecit à possessione, & ego hoc postea ratifico, perinde teneor interdicto unde vi ad possessionem restituendam & reparanda damna illata, sicut tenerer, si id à principio mandassem. c. Cum ad sedem. 15. de Restit. spoliat. l. 1. §. sed & si. 14. ff. de vi, & vi armata.

Quæritur II. An, & quæ dentur Fallentiæ circa hanc Regulam? Resp. Eam fallere primò in illis casibus, in quibus deest unum ex necessariis requisitis à n. 4. allegatis.

Secundò, quando expressum mandatum requiritur ad formam & substantiam actus, vel in vim authoritatis; cum ista per ratihabitionem non suppleantur. c. Cum dilecta. 22. de Rescript. & ibi Felin. num. 6. Barb. hic. num. 16. Surd. Decis. 159. num. 10.

Tertiò, Fallit quoad irregularitatem incurrentem ob homicidium per alium meo nomine factum, & à me ratificatum, uti docet Gloss. in can. si quis Viduam. 8. dist. 50. Covar. in Clement. si furiosus. p. 2. §. 1. n. 5. Barb. hic. n. 17. & alii ab eodem relati contra Navarr. in Manu. cap. 27. n. 233.

REGULA XI.

Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde desumpta?
- 2 Nomine Partium in Regula intelliguntur Actor & Reus. Actor quis dicitur? ibid.
- 3 Reus quis?
- 4 Quid intelligatur per verbum Jura?
- 5 Et quid per verbum obscura?
- 6 Verus sensus Regule quis?
- 7 Declaratur exemplis Juris.
- 8 Ratio Regule, & sensus illius.
- 9 Solvitur objectio.
- 10 Fallit Regula in causis favorabilibus.
- 11 Item in causis piis.
- 12 Et si actor est in possessione.

13 **H**ÆC Regula desumitur ex l. Favorabiliores. 125. ff. de R. l. ibi: Favorabiliores rei potius, quam actores habentur. cui concordat c. Ex litteris. 3. de probat. ibi: cum promptiora sint Jura ad absolvendum, quam ad condemnandum, præterquam in liberali causa. Item c. Inter dilectos 6. de fide Instrum. in fin. ibi: cum obscura sunt jura partium, convenit contra eum, qui petitur est, judicari.

14 **Q**uæritur I. Quomodo intelligenda sit Regula? Et qui verus illius sensus? Ante responsonem explicare prius oportet terminos in Regula positos. Notandum itaque per Partes in Regula intelligi Actorem & Reum; in omni siquidem judicio vel processu præter Judicem concurrunt Actor & Reus. Actor est & dicitur, qui alterum ad iudicium provocat, & rem aliquam ab eo præstandam petit. l. In tribus. 13. ff. de iudicis, qui propterea à petendo etiam Petitor nominatur cit. c. Inter dilectos. de fide Instrum. in fine. In processu autem Criminali Accusator vocatur.

15 **R**eus, in genere loquendo, non pro criminoso & delinquente sumitur, sed à Re, quæ ab eo petitur, sic nominatur, ita ut sensu Regule omnino ille dicatur Reus, à quo aliquid ab Actore etiam iniique petitur. c. foras de Verb. Signif. ibi: Reus à re, quæ petitur, nuncupatur; quia quamvis consensu sceleris non fit, Reus tamen dicitur, quamvis in iudicium pro re aliqua petitur.

16 **P**er verbum Jura intelliguntur Partium probationes, & defensiones, vel media ad probandum, vel se defendendum assumpta & producta; uti sunt depositio testium, instrumenta & scripturæ publicæ ac private, juramenta, confessio alterius partis, leges item & canones in vim probationis adducti.

Pech. ad hanc Reg. num. 4.

Per verbum obscura intelligitur, seu obscura Jura esse censentur, quando probationes, instrumenta, documenta, argumenta à partibus pro & contra producta ita sunt constituta, ut consideratis considerandis iudex prudenter discernere non valeat, sed merito dubius hæreat, pro quam parte genuina veritas & iustitia militet. Hs notatis.

17 **R**esp. ad quæstionem n. 2. positam, Regulam 6 in sequenti sensu, qui genuinus & verus est, intelligendam esse: Si partium Jura, id est, earum probationes & allegationes non sunt satis claræ seu manifestæ, sed dubiæ & obscuræ, seu ita constitutæ, ut iudex aequo animo consideratis considerandis prudenter discernere non possit, quem prævaleant, aut pro qua parte iustitia magis militet: Reo potius, quam Actori favere, consequenter illum à petitione Actoris abolvere debemus. Per Jura clara n. 1. allegata.

18 **D**eclaratur Juris exemplis: sic enim si duo Judices ordinari super eadem causa cognoscant, & unus reum absolvat, alter vero condemnet eundem, quia Jura cententur obscura, absolutoria sententia Rei ob favorem ejusdem præferenda est. l. Inter pares. 28. ff. de Re iudicat. & l. Arrianus. 47. de Obligat. & Actio. Dynus in hanc Reg. n. 2. Sic pariter si ago contra Titium hypothecaria actione, & probò rem mihi esse obligatam à Domino: Titius verò probet, illam rem sibi eodem die à Domino fuisse obligatam, consequenter, etiam prius vel posterior non appareat, sed obscurum maneat, Titius tanquam reus absolvendus est. l. si debitor. 10. ff. de pignor. Sic in aliis causis civilibus si partium jura præfatto modo manent obscura, semper Reo magis quam Actori favendum, sicque Reus vel statim absolute absolvendus, vel saltem præ Actore subinde ad juramentum suppletorium admittendus est in causis dictum juramentum admittentibus juxta dicta Lib. II. Tit. XXIV. de Jurjur. à n. 191.

19 **P**ræter Jura jam allegata Ratio universalis est; quia Reus invitus, & plerumque inopinatús, & impræparatus in iudicio comparere debet: cum contra Actor prius cunctis sibi necessariis & conducendis jam prævisis reum adhuc impræparatum ad iudicium inopinatò citari faciat, sicque plus illi quam huic favore æquitas possulet, uti cum aliis in hanc Regulam observat Barb. num. 3. præsertim cum suadente humanitatis ratione Jura promptiora sint ad absolvendum, quam condemnandum, cit. c. Ex litteris de probat.

20 **O**bjicitur contra Regulam: l. Si quis intentione. 66. ff.

Regula XI. Cum sunt Partium Jura obscura &c. 31

66. ff. de iudic. jubetur petitionem ambiguum Actoris in favorem ipsius interpretari; ergo non semper Reo, sed etiam Actori in dubio favendum est Respondet glossa, hanc legem intelligendam esse de initio causæ, non de fine ipsius, quando agitur de ejusdem decisione, circa quam observanda est Regula XI. Verum Barb. lo. cit. cum aliis rejecta opinione glossæ merito censet, Regulam ab initio, in medio & sine iudicii esse observandam, cum non loquatur de claritate vel obscuritate petitionis ab Actore factæ (quam utique non in illius odium, sed favorem interpretari oportet, arg. cit. l. si quis) sed de iurium ab utraque parte productorum obscuritate post sufficientem discussionem adhuc remanente, volens, ut hac stante semper Reo potius quam Actori faveatur per concordantia Jura n. 1. citata.

21 **Q**uæritur II. An, & quæ dentur Fallentiæ contra Regulam? Resp. Eam fallere primò in casu quo actor ioveat causam favorabilem, puta pro matri-

monio, libertate, dote aut testamento; in huiusmodi enim casibus stante dubio actori potius quam reo favendum est, Barb. hic. n. 4. c. fin. de sentent. & re iudicat. juncto c. Ex litteris de probat. & aliis iuris civitatis à glossa hic, quæ hocse duos vericulos addit:

Stat testamentum, libertas, conjugium, dote, Si sunt æquales, qui producantur utrinque.

22 **F**allit secundò in omni causa pia, si eam tuetur actor juxta Tiraquel. de Privileg. pie cause Privil. 146. cum seqq. Barb. lo. cit. Ratio est: quia causæ piæ etiam inter favorabiles causas veniunt.

23 **F**allit tertiò, si actor est in possessione: in hac enim & ipse tuendus est donec de jure partis adversæ constet, c. Ex litteris. 3. v. Quid si de probat. & l. fin. C. de R. V. Ratio est; quia in possessione existens actor præter jura, quæ cum reo paria habere censentur, etiam militante pro se gaudet Regula 6. Juris in 6. In pari causa potior est conditio possidentis.

REGULA XII.

In Judiciis non est acceptio personarum habenda.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde desumpta?
- 2 Quid intelligatur in Regula per verbum in Judiciis?
- 3 Acceptio personarum quid?
- 4 Quando non exigente iustitia, sed ex mera libera voluntate quid confertur, potest sine acceptione personarum una præ alia respici.
- 5 Verus sensus Regule, quis?
- 6 Solvitur objectio.
- 7 Ponuntur apparentes, sed non veræ Fallentiæ contra Regulam. & n. seqq.

1 **H**ÆC Regula conformis est præcepto Divino Deut. 1. ibi: quod iustum est iudicatis, sive civis sit ille, sive peregrinus: nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis, ut magnum, nec accipietis cuiusquam personam; quia Dei iudicium est. Et traducta videtur ex c. Novit. v. Cœterum de iudicis. & c. Statutum. 11. §. Insuper. & ff. de Rescript. in 6. ac c. 1. de Sentent. & re iudicata. in 6.

2 **Q**uæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Verbum in Judiciis in hac Regula sumitur in lato sensu, ita ut nomine Judiciorum intelligantur non tantum discussio & definitio causæ inter actorem & reum controversæ, sed alii actus, quibus examinantur & iudicantur personarum jura, merita, qualitates in ordine ad iustitiam tam distributivam quam commutativam administrandam: in quo sensu vi Regule reprobat acceptio personarum non solum quando juxta iustitiam commutativam discutitur & iudicatur causa inter actorem & reum, sed & si discutuntur & iudicantur jura, merita, qualitates, habilitates &c. ad servandam iustitiam distributivam in conferendis beneficiis, officiis, dignitatibus, imponendis pro bono publico communibus oneribus &c. in quibus, uti in illis non est habenda acceptio personarum, seu non sunt attendendæ qualitates illius ad rem nihil facientes vel conferentes, sed id tantum, quod juxta jura, æquitatem & exigentiam rei, pro causa vel obiecto plus, minusve servit, uti cum aliis bene observat Dynus hic. n. 7. Barb. hic. n. 2. Strein. hic. n. 1. Vincentius Tauino Ord. Min. Reform. glossator Regula: un iuris solidus & clarus, hic. n. 8. & patet ex num. sequenti.

3 **P**er Acceptiōnem Personarum intelligit, & reprobatur Regula illud vitium, quod aliquid, quod exigente iustitia debetur uni, confertur vel adjudicatur alteri non intuitu juris vel meritorum hunc reo illo magis dignum vel aptum facientibus, sed ob aliquam personæ conditionem, aut qualitatem, quæ ad id, quod confertur, profus nil facit vel confert, v. g. quia pulcher, quia affinis, quia consanguineus est &c. sic committitur acceptio personarum contra Regulam, si iudex ei contra æquitatem adjudicat causam, quia illius affinis est; quæ affinitas profus nil faciat ad iustitiam causæ: item si quis alicui præ alio longè digniore confert Parochiam, quia ejus consanguineus est; quia consanguinitas nil confert ad Parochiam: item si quis alicui præ alio longè utilior confert officium publicum, quod bonum commune multum dependet, quia amat illum, vel reciprocè quia æstimatur aut amatur ab illo; cum nec passivus nec activus amor horum quidquam faciat ad officium publicum, uti bene advertunt DD. in præced. citati, estque in re etiam communis Theologorum acceptiōnem personarum sic explicantium.

4 **N**otanter autem dicitur, quod exigente iustitia commutativa nempe, vel distributiva, debetur uni, quia in casu, quo quis non ex iustitia, sed ex mera gratia & libera voluntate aliquid v. g. elemosinam tribuit, vel distribuit, non committit vitiosam acceptiōnem personarum, si unam personam v. g. consanguineam, gratam, amatam præ alia respiciat, nisi ill vel minus aut plus quam alteri largitur, vel largiri facit, uti cum D. Thoma 2. 2. q. 63. Sylvestro v. Acceptio personarum. & aliis advertit Barb. hic. n. 4. id bene declaratans exemplo divino: sic enim atquequa Deus non ex debito iustitiæ, sed ex mera gratia, bonitate & benignitate dona sua & gratias prout vult, distribuit (si enim ex iustitia est debitor gratiæ, jam gratia non esset gratia) non dicitur acceptor personarum, quando præfata dona sua diversimodè, uni multa & magna: alteri modica & pauca, uni duo, alteri quinque talenta pro divino beneplacito suo distribuit; uti patet ex textu Evangelii apud Matth. 20. v. 15. aus non licet mihi, quod volo, facere. Hinc

5 **R**esp. II. Verus sensus Regule hic est: In Judiciis seu, quando ex iustitia commutativa, vel distributiva aliquid iudicandum vel distribuendum est, non est habendus respectus vel acceptio personarum, hoc est,

est, non debet id, quod exigente iustitia uni debetur, alteri adjudicari vel trahi intuitu alicujus conditionis vel qualitatis in persona reperiæ, que ad iustitiam causæ, que iudicatur, vel ad rem, que tribuitur, nihil facit aut confert. Per Jura n. 1. citata. Cujus ulterior ratio est; quia iustitia semper & ubique intendit æquitatem & æqualitatem: commutativa quidem arithmeticam, uti vocant, id est, ut perfectè & exactè in substantia, qualitate, pondere, numero, mensura vel æliminatione tantum detur, quantum debetur: distributiva verò geometricam, id est talem, quæ beneficia, dignitates, munera & officia publica, bona & onera communia juxta exigentiam & diversitatem qualitatum, meritorum, facultatum, idoneitatis &c. ita distribuuntur ac conferuntur, ut is, qui bonis qualitibus, meritis, idoneitate &c. manifestè prævalet, aliis in collatione vel promotione præferatur, vel melius, utilius, nobiliter, & dignius quid, quam alter minus dignus accipiat: ac ille, qui minus in facultatibus habet, ad minus, ille verò, qui majoribus facultatibus gaudet, ad plus profublevanda publica necessitate contribuendum adigatur, quam æquitatem vel æqualitatem in alterutro si quis intuitu impertinentis ad rem qualitatis vel conditionis in persona reperiæ lædit, contra iustitiam commutativam, vel distributivam procul dubio delinquit, & vitiosam acceptionem personarum habere censetur, uti cum præcitatæ etiam alii tam Theologi, quam Juris bene observant.

6 Obijcitur contra Regulam & sensum ejus can. Clerico. 27. dist. 50. & c. Nisi specialis. 3. de officio, legat. ubi expressè habetur, quòd Papa ex speciali erga personam amore remiserit poenam delicti; nam cit. c. Nisi dicitur: Nisi specialis illa dilectio, quam ad personam tuam habuimus, & habemus, ju-

stum motum animi nostri temperaret; poena decente cognoscere, quantum excesseris. Resp. Quamvis etiam in iustitia vindicativa Judices interiores non possint habere respectum & acceptionem personarum, nisi in casibus à Jure præscriptis (nam pro mensura peccati erit plagarum modus. Deut. 25. v. 2.) tamen aliud est in Principe supremo, utpote qui lege sua superior existens jus aggratiandi, & poenam remittendi vel mitigandi habet per *Vulgaria*.

Queritur II. An hæc Regula? & quas Fallentias pariat? Resp. Aliquis, uti casum in præced. num. ita & illos ponunt, in quibus ex dispositione legum in poenis infligendis habetur respectus ad personas dignitate, libertate, vel alia qualitate præditas. l. Aut facta 16. §. 4. ff. de Penis. l. ad Bestias. 31. ff. eod. can. Indignantur. cau. 32. q. 6. Verum quia respectus iste personarum habetur jure sic disponente, non delinquitur contra iustitiam, nec quòd uni ex iustitia debetur, alteri tribuitur, consequenter non committitur vitiosa acceptio personarum per Regulam reprobatam.

Sic pariter non est contra Regulam Fallentia, 3. quam alii tamen ponunt: quòd si quis ætate major contrahat cum pupillo sine autoritate tutoris, major vi contractus obligetur pupillo, & tamen hic non obligetur illi l. Julianus 13. §. 29. ff. de action. empr. quia hoc non contra iustitiam, sed juxta expressam Juris dispositionem, sique iuste, ac sine vitiosa acceptione personarum fit, præsertim cum hæc Jure ordinato æquissima sit, utpote per quam caliditate hominum obviatur, ne pupillis & minoribus infirmitate ac imbecillitate iudicii plerumque adhuc laborantibus per circumventionem contractibus nocere valeant. l. 1. ff. de Minor.

REGULA XIII.

Ignorantia facti, non Juris excusat.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde desumpta?
- 2 Ignorantia quid?
- 3 Alia est ignorantia Facti proprii vel alieni: Alia Juris.
- 4 Utraque alia vincibilis: alia invincibilis; & que in foro interno?
- 5 Que in foro externo dicitur vincibilis?
- 6 Ignorantia vincibilis alia dicitur supina, seu crassa: alia affectata.
- 7 Aliud est ignorantiam excusare in ordine ad vitandum damnum: aliud ad acquirendum lucrum.
- 8 Regula habet duas partes, & quoad utramque secundum forum externum, & de ignorantia invincibili intelligenda est.
- 9 Verus sensus Regula quoad primam partem de ignorantia facti quis?
- 10 Facti alieni, non proprii ignorantia excusat.
- 11 Solvitur obiectio: & n. seq.
- 12 Verus sensus Regule quoad secundam partem de ignorantia Juris.
- 13 Ignorantia Juris non excusat quoad acquirendum lucrum, bene verò quoad vitandum damnum.
- 14 Solvitur obiectio contra Regulam: & n. seq.
- 15 Quis teneatur solvere expensas litis? remissive.
- 16 Fallit Regula quoad primam partem in factis notoriis ac publicis.
- 17 Fallit etiam quoad secundam partem de Ignorantia Juris in multis, minoribus, ac subinde etiam in rudibus.

- 21 Item in feminis: & quomodo?
- 22 Item quando Jura non sunt clara, sed ambigua?

Hæc Regula desumitur ex l. Genero, 8. ff. de his, 1 qui nor. infam. ex l. 1. & seqq. ff. de Juris, & facti ignorantia; uti & ex Tit. XVIII. C. de Juris & facti ignorantia.

Queritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Ante responsionem sciendum, quid, & quotplex sit Ignorantia. Quidam errorem cum ignorantia confundunt, & idem esse dicunt sed minus solide; quia Error consistit in positivo falso iudicio intellectus: Ignorantia autem consistit in privatione scientiæ; & communiter bene describitur: Ignorantia est privatio, seu carentia scientiæ, seu notitiæ circa ea, quorum scientiam habere possibile est.

Ignorantia sic descripta alia est Facti, alia Juris. Ignorantia facti est, & dicitur, quando quis ignorat aliquid esse factum vel omisissum, ad hunc, vel illum pertinere; v. g. ignorat quis rem esse venditam: vel utrum Provincia quedam ad hunc vel illum pertineat Principem: an pugna sit commissæ, an victoria ab hoc vel illo reportata. Hæc ignorantia rursus alia est facti proprii, alia facti alieni. Ignorantia facti proprii est, quæ facta nostra propria seu ea, quæ à nobis ipsi facta sunt, ignoramus, seu non amplius scimus. Ignorantia facti alieni est, quæ necimus, quæ ab aliis sunt, vel facta sunt.

Ignorantia Juris est, quæ ignoramus Jura, seu Leges vel Canones, aut Statuta municipalia, mandata vel decreta; tali ignorantia laborat v. g. qui solemn-

Regula XIII. Ignorantia

facti, non Juris excusat.

solemnitates Juris ad alienationem rerum Ecclesiasticarum requisitas ignorat vel quòd decem novatum primò trienniū semper pertineat ad Parochum &c.

Ignorantia tam facti quam Juris ostendit alia Vincibilis, alia Invincibilis est, quæ utraque alter in externo, aliter in foro interno sumitur. In foro interno enim invincibilis ignorantia (quam etiam antecedentem, item probabilem & iustam vocant) illa dicitur, quæ morali diligentia impediri, seu tolli non potuit, eò quòd vel in mentem non venerit cogitare vel dubitare de opposito: vel et si incidit, scientiam tamen vel notitiam etiam adhibita diligentia & inquisitione acquirere, & ignorantiam depellere quis non valet. Ignorantia vincibilis verò (quæ etiam consequens dicitur) in eodem foro interno est, quæ morali diligentia superari, & tolli, scientiaque opposita acquiri potuisset & debuisset.

In foro externo autem, in quo quisvis scire præsumitur id, quòd illius status conditio, aut officium requirit, omnis ille dicitur habere Ignorantiam vincibilem, qui ea ignorat, quæ scire ad statum & conditionem illius requiruntur, etiam si de illo dubitare, vel cogitare non incidit. arg. c. fin. §. Si quis. de Glanest. Despons.

Porro Ignorantia vincibilis adhuc dividitur in crassam, seu supinam, & in affectatam. Crassa, seu supina est, quæ quis ex tædio, pigritia, aliâve insufficienti causa vel nullam, vel non debitam adhibet diligentiam ad acquirendam notitiam eorum, quæ ex statu aut conditione scire debet: affectata verò Ignorantia dicitur, quæ datâ operâ scire quis non vult, vel scire cavet, quæ scire tenetur, ut vel liberè, & sine remorsu conscientie delinqueret, vel excusationem circa legis obligationem præterdere queat: juxta quòd de talibus legitur Job. cap. 21. Qui dixerunt Deo, recedere à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. & Psal. 25. Noluit intelligere, ut bene ageret. Sic de natura & diversitate Ignorantiæ tam Theologi, quam Juris communitè docent, sicutque doctrinam desumunt & firmant ex Juribus n. 1. citatis præsertim ex Titulis ff. & C. de Juris & facti ignorantia.

Prænotandum etiam hæc, aliud esse ignorantiam excusare in ordine ad damnum vitandum: aliud in ordine ad acquirendum lucrum. arg. l. 8. ff. de Jur. & facti ignor.

Resp. I. Ad quæstionem n. 2. positam: Regula XIII. quæ duas habet partes, unam de Ignorantia facti, alteram de Ignorantia Juris, quoad utramque intelligenda est secundum forum externum, & quidem de Invincibili, non de Vincibili Ignorantia; per hanc enim sive facti, sive Juris sit, neminem excusari vel juvari, certum est: quia, si crassa & supina habetur ceperit, fœcioris, ac hoc ipso inexcusabilis hominis est. l. Plurimum. 3. ff. de Juris & facti Ignorantia. indeque à jure reprobat, etiam si facti sit. l. 6. ff. de Juris & facti Ignorantia. ibi: Nec supina ignorantia servanda est factum ignorantis: junctâ l. Regula est. 9. §. 2. eod. ibi: quid enim, si omnes in civitate sciant, quòd ille solus ignorat? Si Juris est, etiam à SS. Canonibus rejicitur c. fin. de constit. in 6. ibi: dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina: si autem affectata, sive Juris sive facti fuerit, minus excusat, utpote pejor omni alia. Et Ratio ulterior est, quia scire, & scire debere, facileque posse in Jure rara habentur. cit. c. fin. §. Si quis. de Glanest. Despons. & l. si Titius. 48. pr. ff. de Fidejuss.

Resp. II. Verus Regule sensus quoad primam illius partem de Ignorantia Facti hic est: Invincibilis, seu probabilis ignorantia facti alieni in foro externo excusat, tam quoad vitandum damnum, Reiffenstuel Jus Can. Tom. VI.

quàm in commodis. per Jura citata, junctâ l. 8. ff. de Jur. & facti ignor. ibi: Error facti ne miribus quidem in damnis vel compendis (id est, in damno vitando, vel lucro captando) obest. Ratio est; quia, cum facta aliena quasi innumera, & quæ diversæ & obscura sint, etiam prudentissimos, & expertissimos facile latent & fallunt, ut dicitur l. 2. ff. de Jur. & facti ignor. Unde etiam hæc ignorantia facti alieni in iudiciis semper præsumitur, nisi à parte adversa scientia probetur. arg. l. verius. 21. ff. de Probat. & c. præsumitur. 47. de R. J. in 6. ibi: Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.

Dicitur autem notanter: Facti alieni; nam ignorantia facti proprii non excusat. 6. Ab Excommunicatione. 41. de Rescriptis & l. Quamquam. 7. pr. ff. ad S. C. Vell. cum nemo prudens censeatur ignorare facta propria, nisi forsitan valde antiqua sint, vel quis plurimis negotiis implicatus, aut in extremis existens foret, indeque verisimilis obliquo prudentem præsumi valet. uti post Marat. in l. Is potest ff. de acquir. hæredit. n. 227. Menoch. de Præsumpt. lib. 6. præsumpt. 25. n. 28. & seqq. observat Barb. in hanc R. g. n. 20. & seqq.

Nec obstat Responsioni can. In lectum. 6. cau. 12. 34. q. 2. ubi habetur, quòd maritus sit imposita poenitentia ob concubium cum fore uxoris factus ignoranter factum; cum dicta foror absente uxore lectum clanculùm ingressa maritum deceperit, & secum quasi cum uxore propria ad copulam induxerit; Nam contra est, tum quia ille maritus propterea non fuit habitus reus adulterii: quòd autem punitus fuerit non in poenam delicti, sed ad evitandum scandalum, & pro majori cautela, si forsitan in cavendo incestu & adulterio negligentia vel culpa intervenisset, factum est, Gloss. hinc, & in cit. can. In lectum. v. Penitentiam.

Pariter non obstat c. Innovatus. 20. de Elect. ubi Canonici ignoranter eligentes indignum ob defectum Natalium repelluntur: coniequenter etiam ignorantia facti non excusare satis manuit; Nam respondetur primò: Poenam privationis tunc non fuisse impositam. Resp. secundo; Canonicos illos improvidè, & ex vincibili ignorantia facti elegisse; quia ex officio tenebantur indagare & habere notitiam de habilitate eligendi: de vincibili autem ignorantia Regula non loquitur, sed ipsamet eam rejicit juxta dicta n. 9.

Resp. III. Verus sensus Regule quoad secundam illius partem de Ignorantia Juris sic querens est: Nulla ignorantia Juris sive divini & naturalis, sive humani, sive legis, sive Canonis, sive statuti municipalis, sive receptæ consuetudinis in foro externo excusat quoad acquirendum lucrum: bene verò quoad vitandum damnum in re sua amittenda emergens, arg. can. Turbarus. 12. cau. 1. q. 4. Ratio est; quia leges ab omnibus intelligi & sciri debent. l. Leges. 3. C. de Legib. & l. Constitutiones. 12. C. de Jur. & facti ignor. ibi: Constitutiones Principum nec ignorare quemquam, nec distulare pervertimus: ut proia ignorantia Juris sicuti ignorantia facti, non præsumatur, sed pro culpa lata habeatur, uti post Bart. & Bald. bene observat Barb. hinc. n. 25.

Dicitur autem notanter, quoad acquirendum lucrum, bene verò quoad vitandum in re sua amittenda; quia leges ipsæ expressè sic distinguunt, l. Juris. 7. ff. de Jur. & facti ignor. ibi: Juris ignorantia non prodest acquirere volentibus, suum verò pretentibus non nocet. & l. Error. 8. ff. eod. ibi: Caterum omnibus Juris error in damnis avertendis non nocet.

Obijcitur contra secundam hanc partem Regule c. fin. de Constit. in 6. ubi expressè habetur, quòd Statutorum, sique Juris ignorantia excuset, nisi

34 nisi sit crassa aut supina. Resp. ibi sermonem esse de sententiis censurarum, ad quas contrahendas contumacia, & quasi contemptus potestatis Ecclesiasticae aliquid sub censura prohibentis requiritur. c. Sacro. 48. de Sent. Excom. & c. Ex parte. 23. de V. S. quae contumacia sine praevia monitione & notitia prohibitionis sub censura facta non datur.

27 Obijcitur ulterius: Jura, Leges ac Canones innumeri sunt, & maxima pars hominum eos inculpabiliter ignorat, cum illos scire nec status, nec conditio eorum requirat; ergo aequum est, ut etiam Juris ignorantia probabilis aut invincibilis excuset. Resp. objectionem procedere quidem & stringere in foro interno, non item in externo; in hoc enim juxta Jura n. 14. citata nulla attenditur ignorantia; eo quod, licet multi Jura ignorent, de his tamen in judicialibus, & subinde etiam extrajudicialibus majoris momenti negotiis ipsos concernentibus per alios informari, ac notitiam eorum acquirere possent &c. indeque ipsos ignorantia illorum in foro externo non excuset.

28 Caeterum ex Regula haecenus declarata adducit Glossa hic notabilem doctrinam, an & quando videlicet Regulae quis in judicio teneatur ad executionem litis? Verum quia de hac materia sufficienter jam egimus lib. II. Tit. 27. §. 7. Lectorem illic remittimus.

29 Quaeitur II. An, & quales Regula XIII. patitur fallentia? Resp. I. Eam quoad partem primam de ignorantia facti fallere in casibus, & factis publicis ac notoriis, aut valde notabilibus & ponderosis, quae ferè cunctis patent, & à quovis modica duntaxat adhibita diligentia sciri possunt. Barb. hic n. 22. Menoch. de Praesumpt. praesumpt. 23. n. 68. arg. cit. l. Regula est. g. ff. de Juris & facti. ignor. ibi: sed facti Ignorantia ita demum cuique non nocet, si non ei summa negligentia obijciatur; quid enim, si omnes in civitate sciant, quod ille solus ignorat. cum concordant, quamvis haec propria fallentia dici vix queat, cum in hujusmodi casibus censetur adesse supina ac vincibilis ignorantia

facti, sicut in illis factis, quae quis vi status & conditionis scire tenetur: de qua ignorantia quia non loquitur Regula per dicta n. 9. fallentia in dictis casibus proprie non censetur subiecta.

Resp. II. Quoad secundam partem de Ignorantia Juris Regula fallit 1. in militibus & minoribus. l. Regula est. g. ff. de Jur. & facti. Ignor. & l. 1. C. cod. Item in omnino rudibus, casu quo copiam peritorum Juris, quos consulant, non habent, uti communiter volunt DD. arg. cit. l. Regula. §. 3. ff. de Jur. & facti. Ignor. item t. c. §. fin. de Edendo. ac adhuc clarior l. fin. C. de Testament. ibi: in illis locis, in quibus raro inveniuntur homines literati, per praesentem legem Rusticantis concedimus &c.

Fallit 2. juxta aliquos in foeminis propter sexum infirmitatem arg. sepe cit. l. Regula. Verum quia haec lex non absolute, sed cum restrictione foeminas excipit, ibi: quod & in foeminis in quibusdam causis propter sexus infirmitatem dicitur: causas autem has l. fin. C. cod. non nisi illas esse dicat, ubi agitur de vitando damno, ibi: Ne passim liceat foeminis omnes suos contractus retrahere in his, quae ignoraverunt statum, si per ignorantiam Juris damnum aliquod circa jus vel substantiam patiantur, in his tantum casibus, in quibus praerogatum legum Auctoritas eis suffragatur: hinc propria fallentia dicenda non videtur; cum Juris ignorantia quoad vitandum damnum nulli nocet, sed quemvis etiam vi Regulae excuset juxta dicta n. 15.

Fallit 3. quando Jura non sunt clara, sed ambigua, obicura, ac propterea multum controversa inter DD. Hujusmodi enim Juris ignorantia tam quoad acquirendum, quam vitandum damnum excusat. Barb. hic n. 26. Abb. in c. de quarta. de Praescript. n. 12. & alii committer: & Ratio est; quia ubi jus est verè dubium, ac inter DD. controversum, non est major ratio, cur quis unam potius quam aliam opinionem sequi teneatur; quin imo talis ignorantia proprie non est Juris, cum de ratione Juris seu legis sit esse manifestum. con. Erit autem lex. dist. 4.

REGULA XIV.

Cum quis in Jus alterius succedit, justam ignorantiam causam habere censetur.

SUMMARIUM.

- 1 Haec Regula exemplificat duntaxat, & declarat antecedentem.
- 2 Succedens in jus alterius sive universale, sive particulare presumitur ignorare facta antecessoris.
- 3 Si contra ipsum agitur, non item, si ipse actionem instituit.
- 4 Verus sensus Regulae quis?
- 5 Solvitur obiectio.

1 Haec Regula desumpta ex l. qui in alterius. 42. pr. ff. de R. J. nil aliud vult, quam aliquod Juris exemplo declarare & confirmare Regulam praecedentem XIII. uti bene notat Gloss. hic in fine; cum enim juxta dicta in antecedente Regula, Ignorantia facti alieni excuset; quid autem antecessor debet an, & qualiter bona ipsius gravata sint, sit factum alienum, ignorans illud Successor merito excusetur. Hinc pro brevi hujus Regulae impeditioe.

2 Queritur, quomodo haec Regula sit intelligenda? & quis verus illius sensus? Resp. I. Per verba: in Jus alterius succedit. hic non tantum intelligi il-

lum, qui ex testamento, vel ab intestato in universum Jus alterius, sed quemvis alium, qui etiam quoad res particulares in jus alterius succedit, veluti Legatarius, Fidei-commissarius, Donatarius, Emptor; imò etiam Praelati, & alii in dignitate, officio, & beneficio succedentes: cum hi aequè ac haeredes facta antecessorum, utpote aliena invincibiliter ignorare praesumantur, ac propterea excusari mereantur, Strein in hanc Reg. n. 1. Canisius in eandem in pr. Barb. ibid. n. 3. & alii ab eo citati, per Jura in praecedenti Regula allegata.

Notandum tamen cum Gloss. cit. Dyno, Viviano hic & aliis, Regulam intelligi debere in casu, quo succedens in jus alterius convenitur ab aliquo, ut v. g. solvat debitum antecessoris, vel restituat rem ab ipso ablatam &c. in tali enim casu excusat ipsum ignorantia debiti tanquam facti alieni, quod solvere non teneatur, nisi prius debitum probetur: non autem in casu, quò Successor ipse contra alium actionem instituit, tunc enim ignorantia ei, non opitalatur; cum quisvis ad iudicium provocans certus esse debeat de facto suo: quod totum liquet ex cit. l. qui in alterius. 42. ff. de R. J. ibi: qui in alterius locum succedunt, justam habent causam ignorantiam, an id, quod peteretur, deberetur, &c. Haec ita de haerede dicta sunt, si cum eo ageretur, non etiam, si agatur nomen planè,

planè, qui agit, certus esse debet: cum sit in potestate ejus, quando velit experiri, & ante debet rem diligenter explorare, & tunc ad agendum procedere. Et ex his

- 4 Resp. II. Genuini sensus Regulae XIV. hic est: Qui in jus alterius sive universale, sive particulare succedit, invincibiliter censetur ignorare facta antecessoris, consequenter nec in culpa nec in mora est solvendi debita per antecessorem occultè contracta, vel restituendi injustè ab eodem ablata, vel aliam praestandi occultam obligationem, donec à perente sufficienter probeatur. Per Jura & rationes jam allegatas.
- 5 Obijcitur contra hanc Regulam & sensum illius 1. Ad item. 77. ff. de Verb. oblig. & l. fin. ff. de Nautico fenore. vi quarum habetur, quod si quis

aliqui mille florenos ad certum diem sub poena quinquaginta florenorum promittit, ante adventum conventae diei moriatur, haeres etiam ad poenam teneatur; ergo Ignorantia facti ab antecessore non excusat successorem in jus illius. Resp. Has leges loqui de casu, quò debitum & poena ex contractu adjecta jam sufficienter sunt probata: in quo utique Ignorantia non amplius excusat, utpote quae non extinguit reales obligationes & vera debita antecessoris, sed succedentem duntaxat immunem reddit à culpa & mora solvendi, donec debitum sufficienter probeatur, quò factò ignorantia cessat, & stringit succedentem in jus alterius eadem obligatio, quam habuit antecessor. Zoëf. in l. stipulationum. 2. §. Ex his. ff. de V. O. n. 15.

REGULA XV.

Odia restringi, & favores convenit ampliari.

SUMMARIUM.

- 1 Regula celebris, sed difficultis explicatu est: & quare?
- 2 Quenam materia, lex, vel dispositio sit & dicatur favorabilis? & quae odiosa? & trib. seqq.
- 6 Verus sensus Regulae quis?
- 7 Declaratur Exemptis: & duob. seqq.
- 10 Omnes Leges, punales censentur odiosae, ac strictè interpretandae.
- 11 Leges, Rescripta & Dispositiones, quae à Jure communi exorbitant, censentur odiosae.
- 12 Idem est de Privilegiis.
- 13 Afferuntur plura exempla ex Jure de restringendis, ac non extendendis odiosis. & trib. seqq.
- 17 Alia exempla de ampliandis, extendendis; & latè explanandis favoribus, ac odiosis restringendis: & duobus seqq.
- Nomine Populi in odiosis non veniunt Clerici, bene verò in favorabilibus. ibid.
- 18 Nomine Clericorum in odiosis non veniunt Episcopi, Praelati, Canonici, Religiosi: bene verò in favorabilibus.
- 19 Nomine Territorii in favorabilibus veniunt etiam loca exempta, non item in odiosis.
- 20 Regula circa exorbitantia à Jure communi, consequenter odiosa, fallit quando favor concessus est pro utilitate publica.
- 21 Vel pro cultu Divino, Fidei, Religione, salute animarum, aut causa pia.
- 22 Vel ex motu proprio.
- 23 Item ubi est eadem ratio in lege expressa.
- 24 Item si extensio requiritur ad evitandum absurdum.
- 25 Circa ampliandos favores fallit etiam Regula in Beneficiis Ecclesiasticis.
- 26 Et quando praedictae Juri tertiè jam quaesito.

ac contra: difficultas in decidendo est, quenam favorabilis & quenam odiosa dispositio habenda sit?

Sanch. lib. 1. de Matrim. disp. 1. n. 5. cum aliis magnae notae Doctoribus putat, attendendam esse principalem intentionem disponentis vel legislatoris; si enim hic per vult legem, statutum, dispositionem principaliter intendit, alicui favorem exhibere, lex & dispositio favorabilis censenda, consequenter amplianda, extendenda, & latè interpretanda est, licet etiam in damnum & odium alterius redundet: si verò primarium intentum in alicujus odium & poenam tendit, vel contra jus commune militat, lex odiosa reputari debet, cessat etiam in alterius favorem. Quae opinio vera & solida videtur, si accipitur cum restrictione, quam facit disp. 3. n. 5.

Ubi communiori, magis verè ac solidè adhaeret doctrinam, quam de hac materia jam tradidimus lib. I. Tit. 2. §. 17. an. 437. videlicet, quotiescunque odium & favor ab invicem separari possunt, lex, vel dispositio partim favorabilis, partim odiosa censenda est: ac proin qua parte favorabilis, latè interpretanda venit: qua parte verò odiosa videtur strictè interpretationis est, ac restringi debet.

Si autem favor & odium in lege vel dispositione reperta separari nequeunt, attendenda est principalis intentio disponentis, seu legislatoris juxta dicta n. 2. quae intentio tum ex verbis ipsius, tum ex subiecta materia desumi poterit.

Quod si verò non appareat, an constitutio principaliter facta sit in favorem vel odium alterius, tunc favorabilis censenda, & consequenter latè interpretanda est. Et hanc doctrinam satis probavimus & declaravimus per Jura, rationem duplicem Gloss. DD. Bart. Bald. Jason. Covarr. Abb. ipsiisque Sanch. & alios cit. lib. 1. Tit. 2. §. 17. an. 437. ubi vide, ne superflua fiat repetitio. His praemissis, Queritur I. Quomodo Regula XV. intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. Eam in sequenti genuino sensu intelligendam esse. Leges, canones, statuta, Rescripta, dispositiones odiosae, id est, illae, quae vel jure communi exorbitant, vel principaliter in odium & poenam tendunt, strictè interpretandae, & propterea non extendendae, sed restringendae sunt; favorabiles verò, illae videlicet, quae principaliter in favorem alicujus factae sunt, latè explicari & extendi possunt & debent. ubi in praecedentibus numeris jam compendiosè, ex cit. lib. I. autem Tit. 2. §. 17. plenius declaratum probatumque habetur, & amplius.

- 7 Hinc sensu ac doctrina conformiter rem magis variis exemplis declarat Glossa & quidem imprimis in c. Si propter, de Rescript. in 6. ait, constitutione in hoc c. contentam, quoad debita solvenda Episcopo concedebantur beneficiorum fructus primi anni, esse favorabilem; quia principaliter est facta in favorem Episcopi ad solvenda sua debita, quamvis in eorum, quibus beneficia conferebantur, redundet damnum, utpote qui propterea redditus primi anni percipere non poterant.
- 8 Similiter in c. Sciant cuncti, de Elect. in 6. y. alios, inquit, eam constitutionem, qua laici excommunicantur, quia gravare praesumpserunt Clericos ex eo, quod rogati noluerint eligere illos, pro quibus laici intercedebant, esse favorabilem, non obstante, quod laici ob excommunicationem fuerint odiosa; quia principaliter facta est in favorem Clericorum ne injulsi gravarentur.
- 9 Pariter can. Si quis vadente diabolo, quia principaliter in favorem status Clericalis conditus est; censetur favorabilis ex parte Clericorum, indeque late interpretandus, etiam ad contrarios, seu fideles Laicos Religiosos extendendus est: Non dubium de Sentent. Excommuni. licet ex parte violentum illum sit odiosus ob excommunicationem annexam, ac propterea ex parte personarum violentum, id est violentans manus in Clericum mittentium strictis & cum effectu de actuali violenta injectione manifestis interpretandus, & nullatenus ad verbalem, vel minus verberum in Clericum extendendus; quia favor & odium in hoc separari possunt juxta dicta n. 3.
- 10 Porro quia Regula duas habet partes, unam de odiis restringendis, alteram de favoribus ampliandis, loquendo specialiter de prima parte, seu de restringendo odio, seu odiosis imprimis omnes leges & dispositiones penales censentur odiosae, ac propterea in dubio stricte interpretandae, nec ultra casum, & personas expressas extendendae sunt, uti amplius jam dictum est. lib. I. Tit. 2. §. 17. & n. 427. arg. l. 42. ff. de Penis. ibi: Interpretatione legum parva mollienda sunt potius, quam exasperanda & c. In penis 49. de R. J. in 6. ibi: In penis benignior interpretatio est facienda.
- 21 Dein leges, Rescripta, ac omnes dispositiones a Jure communi exorbitantes, & multo magis Jure correctoriae tanquam odiosae, stricte interpretandae, & nec in consequentiam trahendae; nec de persona ad personam, neque de casu ad casum extendendae sunt juxta c. que 28. de R. J. in 6. ibi: que a Jure communi exorbitant, nequaquam in consequentiam sunt trahenda. & c. Is qui, de filiis Presbyt. in 6. ubi Papa ait: praetextu dispensationis hujusmodi, quam exorbitantem a Jure oportet velut odiosam restringi. junctam l. Si vera, 62. §. de Viro. 9. ff. Solutio Matrim.
- 22 Et quoniam privilegia a potiori sunt contra Jus commune, can. Privilegia, dist. 3. a potiori etiam odiosa censentur; cum omnis recessus a Jure sit odiosus c. 1. & 2. de filiis Presbyt. in 6. consequenter stricte interpretandis juxta tritum brocardicum: Privilegium concessum contra Jus est stricte interpretandum. Non obstante, quod ex parte privilegiatorum contineant favorem, & dans privilegium principaliter intendit favorem illis conferre; quia hic favor privatus est, cui praeponderat favor Juris communis: quamvis haec doctrina pariter etiam suas fallentias juxta dicenda n. 21.
- 23 Sic ulterius in specie, quia Clem. 1. de Privileg. prohibens sub censuris, ne Religiosi sine licentia Parochi admittant extremam unctionem, & Matrimonium, non extenditur ad admirantes Baptismum, quia odiosa est.
- 24 Sic licet Clement. un. de Confang. & Affin. Mo-

niales professae si nubant, & illi, qui eas in uxores ducant, sint excommunicati: tamen, quia odiosa est, stricte interpretari debet, & idem ad feminam, quae professa Religiosa nubit, extendi non potest. Tacein. hic n. 8.

Pariter quamvis vi Concilii Trident. excommunicationem incurrant, qui faminas ad ingrediendam Religionem cogunt, tamen hanc excommunicationem non contrahunt cogentes masculum ingredi Religionem; quia Tridentina dispositio tanquam odiosa ad personas non expressas extendi nequit.

Rarius ob eandem rationem Clerici saeculares fraudantes decimas non incurunt poenas, quas contrahunt id facientes Religiosi. Gloss. in Clement. 1. de Decimis.

Loquendo autem ulterius in specie de secunda parte Regulae, id est, de ampliando, late interpretando, & extendendo favore, imo pro utraque parte servantur pro declaratione infer alia etiam frequentia exempla. Primo: licet in odiosis & poenalis nomine populi non veniant Clerici: arg. c. si Sententia, 16. de Sent. Excom. in 6. in favorabilibus tamen eodem nomine etiam comprehenduntur; quia favores sunt ampliandi & extendendi.

Secundo: Quamvis in materia odiosa & poenali nomine Clericorum non veniant Episcopi: c. quia periculosum 4. de Sent. Excom. in 6. nec Canonici, nec alii in Ecclesiastica dignitate constituti c. Sedes Apostolica. 15. de Rescript. & c. Statutum. 22. de Elect. in 6. nec Religiosi, juxta Gloss. in Clement. 1. de Supplend. neglig. Praelar. sed soli Clerici saeculares: tamen in materia favorabili praefati omnes nomine Clericorum comprehenduntur.

Tertio: Nomine Territorii in materia favorabili veniunt etiam loca exempta, non item in materia poenali, vel alias odiosa. Felin. in c. Rudolphus. de Rescript. n. 18.

Queritur II. An, & quae sint Fallentiae contra Regulam XV. Resp. Eam quoad primam partem de odiis restringendis fallere in exorbitantibus a Jure, consequenter odiosis tam legibus, quam rescriptis, & privilegiis, ita ut non stricte, sed late explicari & extendi possint ac debeant 1. Quando agitur de favore publicae utilitatis. arg. l. Catera 41. §. sed si quis. ff. de Legatis. l. Alexander lib. 2. Consl. 216. n. 38. Tufchus lib. E. Concl. 665. Bartol. imola & alii.

Fallit 2. In Rescriptis & Privilegiis concessis pro favore cultus divini, fidei, Religionis, salutis animarum. Fag. in c. olim. de V. S. n. 25. Sylvest. v. Privilegium. q. 3. arg. c. in his. 30. de Privileg. ibi: In his, quae ad cultum divinum facere dignoscuntur, non maligna, sed benigna est potius interpretatio faciendae. Ratio redditur l. suu persona. 43. ff. Religios. & sumptibus fun. ibi: Nam summam esse rationem, quae pro Religione facit. Quam fallentiam Gloss. in c. Sciant. v. alios. de Elect. in 6. Sylvest. loc. cit. Suarez lib. 8. de legib. cap. 27. n. 7. Laym. Tract. 4. cap. 23. n. 5. & alii etiam extendunt ad illa, quae concessa sunt in favorem Ecclesiae, Monasterii, Hospitalis, vel alterius cause pie, aut alias favorabilis.

Fallit 3. quando Privilegium aut Rescriptum Juri communi contrarium datum est motu proprio Laym. loc. cit. Suarez loc. cit. n. 8. Tale siquidem tanquam proprium Principis beneficium, & ex certa scientia concessum amplam & latam interpretationem meretur. c. Simoni proprio 23. & c. Si pluribus. 24. de Prab. in 6.

Fallit 4. circa leges, ubi est eadem ratio in lege expressa; ob hanc enim etiam lex poenalis, vel alias odiosa ad casum non expressum extenditur. Abbas Panorm. lib. 1. Consl. 75. n. 6. Tufch. lib. E. Concl. 665. n. 4. Gloss. in Clement. 1. v. Eligatur. de Elect. arg. c. si postquam. 33. §. si vero de Elect. in 6. & l. Si quis

- quis id. 7. ff. de Jurisdic. quia ratio in lege expressa est anima legis. can. Consequendo. dist. 1. & l. cum ratio 7. ff. de Portion. que liberis. & ubi haec est eadem, etiam eadem censetur esse legis dispositio. l. Ideo 27. ff. de legib. cum Concord.
- 24 Fallit 5. In casibus, in quibus exorbitantia a Jure communi extensionem exigunt ad evitandum absurdum, v. g. quia alias durius ageretur cum Ecclesiis, & personis ecclesiasticis contra c. 1. de Dolo & Contum. ac Concordantias junctam Servitus. 4. ff. quod vi aut clam ubi similis extensio fit: ne melioris conditionis sint fulti. quam periti.
- 25 Quoad secundam partem de favoribus ampliandis Fallit 1. in Beneficiis Ecclesiasticis, utpote quae propter ambitionem stricte interpretanda sunt text-

tu claro c. quamvis. 4. de Prab. in 6. ubi etiam ratio exprimitur ibi: Quamvis plenissima sit alius in beneficiis interpretatio faciendae, licet tamen super obtinendis beneficiis debent, cum sui ambitiose, restringi.

Fallit 2. In quibuscumque etiam maxime favorabilibus dispositionibus, quae praedictum Juri tertii jam quaesito, prout desumitur ex c. Super eo. 15. de offic. Deleg. c. licet. 12. de offic. Ordin. & c. cum capella. 16. de Privileg. junctam Regula Cancell. 18. de non tollendo jus quaesitum. ubi Papa expressè declarat, quod per nullas litteras & gratias etiam motu proprio datas, tollatur Jus tertii jam quaesitum.

Ceterum quia plura circa hanc Regulam, ac de interpretatione illius scire desiderat, legat ex lib. 1. Tit. 2. de Conslit. §. 17. & Tit. 3. de Rescript. §. 5.

REGULA XVI.

Decet concessum a Principe Beneficium esse mansurum.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde desumpta?
 - 2 Beneficium proprie & late sumptum quid? Hic sumitur in sensu lato, prout etiam privilegium comprehenditur.
 - 3 Decet quidem Principem, ut beneficia non revocet: potest tamen tale suo subdito concessum ea causa justa revocare.
 - 4 Non item concessum alieno.
 - 5 Cur deceat Principem beneficia & privilegia concessa non revocare?
 - 6 Ponitur versus sensus Regulae.
 - 7 Solvitur obiectio: Par in parem non habet simperium: quomodo revocari debent?
 - 8 Cause, ob quas revocari possunt, vel ipso jure cessant privilegia.
 - 9 Enarrantur breviter.
- H**aec Regula desumitur ex c. Si super gratia. 9. de Offi. Delegat. in 6. c. Si cui. 36. de Prab. in 6. & aliis a glossa hic citatis Juribus.
- Queritur, Quomodo haec Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Quamvis Beneficium Principis proprie sumptum illud solum dicatur, quod ex liberalitate non contra, sed praeter Jus commune sine ullius, quam concedentis praedictio confertur, ut amplius diximus lib. I. Tit. 2. de Conslit. n. 445. & seq. tamen a Regula hic sumitur late, prout privilegium quoque, etiam contra Jus concessum comprehendit, uti cum Strein hic n. 1. bene observat Peckius hic n. 4. ut proin sicut beneficia propria, sic etiam Privilegia a Principe (cujus nomine etiam Episcopi veniunt juxta Gloss. hic) concessa constantur durare, & manere deceat, consequenter morte concedentis non expirarent, nisi aliter in concessione beneficii, gratiae, vel privilegii exprimitur arg. c. si gratiosè. 5. de Rescript. in 6. ubi gratia a Pontifice concessa usque ad suae voluntatis beneplacitum pro obitum concedentis, quò ejus beneplacitum omnino extinguitur, eo ipso expirare dicitur.
- Per verbum Decet dicere vult Regula, quòd omnino conveniens sit, & deceat quidem Principem, ut beneficia, gratias & privilegia a se, vel antecessore concessa permansere permittat: ad id tamen absolute non obligatur, nec potestas ei adempta sit, quin hujusmodi beneficia & privilegia proprio subdito concessa ex parte, vel in toto, saltem ex iusta causa moderari, vel tollere & revocare valeat, uti probat Gloss. ex c. quia sepe 40. de Elect. in 6. ibi: Non obstantibus quibuscumque privilegiis c. Clerici

3. de Immunit. Ecclesiast. in 6. ibi pariter: Non obstantibus quibuscumque privilegiis, cum Concord.

Dicitur autem notanter: proprio subdito; quia privilegium non proprio fed alieno subdito concessum a concedente non amplius potest revocari. uti jam diximus & probavimus lib. V. Tit. 33. §. 6. n. 121. ubi n. 122. addidimus, quòd privilegia non merè gratiosa, sed onerosa, vel intuitu meritum, aut per modum pacti etiam subditis propriis concessa revocari non amplius valeant ubi vide, ne superflua fiat repetitio.

Ceterum, cur deceat Principem, ut concessa a se, vel antecessore beneficia ac privilegia manere & durare permittat Ratio est: tum quia etiam Princeps ex suo consensu aequè ac privatus obligatur propter aequitatem & rationem naturalem dictantem, ea, quae semel placuere, esse servanda l. 1. pr. ff. de Pactis. ibi: hujus edicti aequitas naturalis est; quid enim tam congruum fidei humane, quam ea, quae inter eos placuere, servare. junctam Reg. 21. Jur. in 6. Quod semel placuit, amplius displicere non potest. Tum quia vel maxime convenit Principi illud Psal. 61. v. 12. Semel locutus est Deus, & illud Pilati: quod scripsi scripsit. Joan. cap. 19. §. 22. cum debeant habere unam linguam, & unum calum quoque immobiles esse instar lapidis angularis, aut poli in caelo, uti post Bald. & Gail. lib. 2. Observ. 55. n. 3. bene observat Strein. hic n. 2. Praetertim quia cuius viro hono, & multo magis Principi turpe ac probrosum est esse inconstantem, ac infidelem in dictis & promissis. Dicit conformiter

Resp. II. Verus sensus Regulae hic est Beneficia, & Privilegia, & alia gratiosa concessiones Principum sine determinatione temporis, vel clausula restrictiva concessa, durare & manere deont: personalia quaedam usque ad mortem privilegiati: realia vero stabiliter, ita, ut neque a concedente, neque a successore auferri conveniant, nec cessent sine justa, & aequè gravi causa, per rationes & Jura citata, praetertim c. Si cui 36. de Prab. & Dignit. in 6.

Nec obijcias: Par in parem non habet imperium c. Imotuit. 20. de Elect. & l. Nam Magistratus. 4. ff. de Recept. arbit. ergo saltem a successore, cuius potestatem ligare non potuit antecessor, liberè revocari possunt beneficia & privilegia ab antecessore concessa. Resp. enim, hoc procedere quoad futura, non autem quoad praeterita, praetertim intuitu meritum, aut onerosè vel per pactum concessa; talia enim sicut nec a concedente, sic nec a successore sine justa, & aequè gravi causa saltem honestè ac licite prohibita auferri valent juxta communem tam Juristarum, quam Theologorum; cum alias quis rebus &

juribus suis, etiam jam quaesitis, pro libitu Principis successoris privari possent.

6 Dicitur autem notanter num. 6. sine justa, eaque gravi causa; ex hac enim sicut concedens & successor beneficia & privilegia revocare possunt, sic etiam aliquoties per se cessant & amittuntur juxta unanimem DD. Quatenam autem sint hae causae, fuisse diximus Lib. V. Tit. 33. de Privileg. §. VI. & seqq. ac compendiose adducuntur à Gloss. hic, & can. Renovantes. 6. dist. 22. ac can. Privilegium. 63. cau. 21. q. 3. suntque abusus, delictum, negligentia, seu non usus, contrarium factum, atque superveniens enorme damnum. Et quidem breviter de his loquendo

9 Propter abusum perdi privilegium habetur cit. can. Privilegium 63. cau. 11. q. 3. ibi: Privilegium omnino mereatur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate.

Propter Delictum perdi, patet ex can. Ira nos. 25. cau. 25. quæst. 2. ubi civitati duos Episcopos suos occident in poenam delicti subtrahitur Sedes Episcopalis.

Propter negligentiam seu non usum: l. 1. ff. de Nundinis, ubi dicitur: Nundinis imperatis à Prin-

cipe non utendo qui meruit, decemni tempore, usum amittit.

Propter contrarium factum, arg. c. si de terra. de Privileg. ibi: de privilegio tamen indulto tanto tempore vis detrahere voluisti, cum liberum sis, cuique jus suum renuntiare, eoque modo non potestis vos in hac parte tueri.

Propter superveniens enorme damnum, arg. c. Distincti. 8. de Decimis, ibi: Unde quoniam iidem fratres ex hoc gravantur enormiter &c. & c. Suggestum. 9. de Decimis. quò revocatur privilegium ex eo, quòd caperit enormiter nocivum esse; ubi glossa §. Privilegium sic habet; pluribus probat: quòd secundum diversitatem temporum, & varietatem rerum privilegia sint varianda; unde illi versus: Indultum tollit contempsum, crimen, abusus, Oppositum factum, damnum, tempus variatum.

De quibus causis plura invenies cit. lib. V. Tit. 33. & quidem de Abusu §. 8. à n. 176. De non usu, item de contrario facto, §. 10. De Damno superveniente, item de lapsu temporis §. 8. ubi etiam à n. 183. alia assignatur causa, videlicet Cessatio causae finalis, non item impulsivæ. Item §. 9. Renuntiatio.

REGULA XVII.

Indultum à Jure Beneficium non est alicui auferendum.

SUMMARIUM.

- 1 In quo differat hæc Regula à præcedenti?
- 2 Beneficium, vel Privilegium alicui de Jure communi competens à nulla homine, etiam Judice &c. auferri potest.
- 3 Nisi à Supremo Legislatore ex gravi justa causa.
- 4 Ponitur versus sensus Regulae.
- 5 Et declaratur exemplis.

1 Quamvis hæc Regula (quæ ex l. v. Neque enim ff. de feriis. & l. Adulter. C. ad legem Juliam. de Adulter. desumpta habetur) non multum dissimilis sit à præcedente, tamen ab ea in hoc principaliter differt, quòd præcedens de beneficiis & privilegiis ab homine potestatem concedendi privilegium habente, Principe nempe concessis, loquatur: præsens verò Regula agat de beneficiis & privilegiis, quæ ab ipso jure communi habentur, eique inserta reperiantur; quæia sunt v. g. Privilegium Exemptionis Clericorum à jurisdictione laicorum: privilegium Restitutionis in integrum Minoribus ab ipso Jure concessum, jurtique communi insertum. Itaque

2 Queritur, Quomodo hæc Regula sit intelligenda, & quis verus illius sensus sit? Resp. Eam sic esse intelligendam, quòd indultum beneficium, vel privilegium de Jure communi alicui competens, à nullo homine, etiam Judice (nisi supremus Legislator sit) auferri valeat. Ratio est; quia, cum indulta & privilegia juri communi inserta naturam legis assumant, lex autem ex natura sua debeat esse perpetua arg. c. fin. de off. legat. cum concord. suamque firmitatem & stabilitatem tum ab autoritate legislatoris, tum à promulgatione & acceptatione, consensuque communi totius populi habeat, à nullo homine privato, nec à Judice auferri, mutari, aut effectus illius impediiri potest; eò quòd Judices sint tantum ministri ac excoutores Juris & legum, indeque illis se accommodare, & juxta eas non verò pro suo libitu contra easdem procedere ac judicare possint & debeant. can. In illis. 3. dist. 4. c. 1. de Sentent. & rejudic. l. fin. C. Si contra jus & utilitatem, & l. Nemo.

13. C. de Sentent. & interlocu.

Dicitur autem notanter: nisi supremus legislator sit; hic enim, sicut alias leges & constitutiones, sic etiam indulta, beneficia & privilegia etiam juri communi inserta per aliam legem revocare, mutare, variare, aut penitus auferre potest ob gravem & justam causam, præsertim ob necessitatem aut utilitatem publicam, arg. c. Non debet. 8. de Consang. & affin. c. 2. & 3. de Consist. in 6. junctâ l. Princeps. 3. l. ff. de LL. cum Concordant. & amplius dictam est Lib. 1. Tit. 2. de Constit. §. 19. & seqq. Nec obstat, quòd lex ex natura sua debeat esse perpetua; quia perpetuitas legis in sensu negativo, ita videlicet intelligenda est, quòd, sicut sine ulla determinatione temporis, aut præfixo termino conditur, sic etiam sine ullo respectu semper & perpetuò, seu tamdiu servari debebat, donec à Supremo Legislatore ex justa causa revocetur, mutetur, varietur, minuat &c. vel etiam per contrariam legitimam consuetudinem tollatur, uti fieri posse certum est c. fin. de Consuet. His præmissis,

Resp. II. Verus sensus Regulae hic est: Indultum beneficium, vel privilegium à Jure communi, lege, vel Canone concessum, siquæ de Jure communi alicui competens; nullus homo, nec Juxta ab eo auferre, vel illum impedire potest, quò minus tali indultu liberè uti & gaudere valeat: Per Jura & rationes allegatas.

Exempla hujus innumera habentur in Jure; sic enim nullus etiam Juxta tollere potest privilegium immunitatis ecclesiasticæ, vel impedire, quò minus eadè maneat Clericus. Nullus item auferre aut impedire potest Beneficium restitutionis in integrum Minoribus & Ecclesiis de jure communi competens. Sic pariter c. fin. de secundis Nupt. prohibetur, ne facultas à Jure communi nulli concessa transcendendi inter annum luctus ad secunda vota eidem auferatur. Et quoniam circa hanc Regulam difficultas aliqua facile non solubilis vix invenitur, pergitur ad Regulam XVIII. declarandam.

REGULA XVIII.

Non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non subsistit.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde desumpta?
- 2 Intelligenda de Nullis ipso jure: non de primùm annullandis.
- 3 Et nisi aliò adminiculò firmetur priùs invalida.
- 4 Ponitur versus Regulae sensus.
- 5 Declaratur & firmatur exemplis, in Testamentis.
- 6 Legatus.
- 7 Contractibus.
- 8 Judiciis.
- 9 Rescriptis.
- 10 Alienationibus rerum Ecclesiæ; quia hæc omnia recensita si ab initio invalida fuerint, non firmantur tractu temporis.
- 11 Solvitur objectio de Professione, quæ ab initio invalida post quinquennium valida evadit.
- 12 Sicut & contractus Minoris invalidus post quinquennium convalescit non solo tractu temporis, sed præsumpta tacita ratificatione.
- 13 Collatio beneficii patronari sine consensu invalidè facta validatur non tractu temporis, sed ob negligentiam Patroni.
- 14 Fallit Regula in contractibus.

1 D Esimitur hæc Regula ex l. quod in initio. 29. ff. de R. J. ibi: Quòd in initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere, cui concordat c. Imperialem. Lib. 2. Feud. de prohibita feudi alienat per Fridericum. ibi: quia ab initio de Jure non valuit, tractu temporis convalescere non debet.

2 Queritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Eam duntaxat de ipso jure nullis, non verò de primùm annullandis de Jure, seu de illis, quæ de jure quidem valida sunt, eodem autem disponente annullari possunt, intelligendam esse, uti bene advertit Gloss. hic. arg. c. Bone. 4. de Postulat. Prælat. ubi Postulatio Archiepiscopi Colon. admittitur, quamvis de jure fuisset annullanda. cum Concord.

3 Item intelligendam esse: nisi de Jure nullum aliò adminiculò v. g. novò tacitò vel expressò necessariò consensu, sublatâ causâ invaliditatis firmetur, uti pluribus probat Gloss. hic. §. non firmatur. In quo tamen casu priùs invalidum non firmatur ex tunc, quando actus nulliter actus est (uti res se habet in rati habitatione juxta Reg. X. n. 3.) sed ex nunc, quando extacito vel expressò consensu actus valere incipit. nisi jus in particulari aliter disponat.

4 Resp. II. Verus sensus Regulae sequens est: Nullus actus, qui, dum perficitur ipso jure invalidus, & nullus est, solo tractu & lapsu temporis sine alio adminiculò convalescit, ut vim & effectus ab initio validè gèsti habeat. Ratio est; quia sicut actus ab initio legitime & valide initus non potest expressò tractu temporis vitari aut annullari, juxta Reg. 73. de R. J. in 6. Factum legitimum retractari non debet &c. ita è contrario solus tractus seu lapsus temporis non potest actum ab initio nullum revalidare; cum tempus ex se solo sit insufficientis ponendam vel tollendam obligationem, nisi aliud extrinsecum adveniat actui. l. obligationum. 44. §. 1. ff. de obligat. & actio.

5 Et procedit summè practica hæc Regula, verè universaliter veluti in Testamentis, & ultimis Voluntatibus: In Contractibus, in Beneficiis & Rescriptis

in Judiciis &c. prout pluribus exemplis ex Jure declarat ac firmat Dynus & Glossa hic. Sic enim Testamentum ex defectu testantis, v. g. ab amente, furioso, impubere invalidè factum non convalescit, etiam si amentis tractu temporis fiat rationis compos, aut in pubes pubescat. §. Præerea. Instit. quibus non est permillum facere testamentum tracta l. Ejus. 8. pr. l. Si filius fam. 19. ff. qui Testaments a facere poss.

Sic legata ab initio nulliter & invalidè facta ob incapacitatem legatarii v. g. apostatæ à fide, tractu temporis etiam remotò impedimento non convalescunt. arg. l. Hi, qui Sanctiam. C. de Apostatis.

Sic in contractibus: si impuberes, ubi malitia non supplet ætatem, contrahunt sponfalia, ea ex defectu ætatis invalidè contracta non convalescunt, etiam si tractu temporis legitima superveniat ætas. c. un. pr. de Despons. impub. in 6. ibi: Sponfalia hujusmodi, quæ ab initio nulla erant, per lapsum temporis minime convalescunt. Idem est in aliis contractibus.

Sic in Judiciis: Sententia de Jure nulliter lata manet talis, & nullo quantumvis longo tempore valida evadit, nec transit in rem judicatam, etiam si illà gravatus fatalia appellacionis neglexerit. l. Si expressum. 19. ff. de Appellat.

Sic in Beneficiis & Rescriptis; Nam si in ætate nondum legitima per invalidam collationem beneficium accepisset, collatio postmodum tractu temporis superveniente adeste subsistente non evadit valida, quia ab initio fuit nulla. c. Si eo tempore. 9. de Rescript. in 6.

Sic alienationes rerum Ecclesiasticarum ex defectu requisitarum solemnitarum ab initio invalidè tractu temporis non validantur. Extravag. Ambrosiæ. de Reb. Eccl. non alien. inter commun.

Obicitur tamen contra Regulam & sensum illius 1. Professio Religiosa ab initio invalidè facta per quinquennium ita firmatur, ut reclamans non amplius audiat. Concil. Trident. Sess. 25. cap. 19. de Regular. Resp. Professionem hujusmodi non firmari solo tractu temporis, sed quia nulliter professus præsumitur intrâ quinquennium tempus professionem ratificasse.

Obicitur 2. Contractus Minorum absque curatorem auctoritate celebrati ipso jure sunt nulli. l. si curatorem. 3. C. de In integr. rest. 1. min. & tamen si per quinquennium integrum non conquerantur, postquam Majores facti sunt, æquè subsistunt, ac si ab initio cum debita Juris solemnitate fuissent initi. l. fin. C. Si Major. fact. alienat. erit tractu temporis firmatur, quod ab initio non valuit. Sed Resp. uti ad priorem objectionem, videlicet contractum Minoris ab initio invalidè factum non validari præcisò tractu quinquennii, sed tacita consensu, quem habere præsumitur, si major factus tacet, & non conqueritur. Vivian. hic Strein. ibid. n. 3.

Obicitur 3. Collatio beneficii patronari sine Patroni præsentatione vel consensu facta, ipso jure nulla & irrita est. can. Decernimus. cau. 16. q. 7. & tamen si Patronus intrâ tempus ad præsentandum à jure sibi concessum alium non præsentat, collatio priùs nulla convalescit, uti post Felin. in c. Cum Bertoldus. de Sentent. & rejudic. docet Strein. hic. n. 3. ergo. Resp. præstatam nulliter factam collationem non solo tractu temporis, sed ex speciali Juris dispositione ob negligentiam Patroni validari; quando enim Patronus intrâ tempus à Jure præscriptum ad beneficium præ-

praesentare negligit, ea vice jure praesentandi priva-
tus ex lit. & validatur collatio prius nulliter facta,
ne longior beneficii vacantia evadat Ecclesiae dam-
nosa, & animabus periculosa. Felin. ubi supra n. 14.
Pech. hic n. 4. & Strein. n. 7.

4. Queritur II. An detur Praesentia contra Regulam
XVIII? Resp. Eam fallere in praescriptione; in
hac enim lapsus temporis a Jure praescripti firmat
contractum emptionis & venditionis etiam quoad

translationem domini. Ita ac si ab initio omni ex
parte rite celebratus esset. Si dicitur ad praescriptio-
nem non sufficere solum tractum temporis, sed re-
quiri etiam possessionem & bonam fidem, Respon-
denti res ematur bona fide & possideatur, tamen con-
tractus emptionis est & manet quoad translationem
domini adhuc imperfectus, donec praescriptus ad-
veniat temporis lapsus, qui proin solus contractum
ex integro perficit.

REGULA XIX.

Non est sine culpa, qui Rei, quae ad se non pertinet, se immiscet.

SUMMARIUM

- 1 Regula unde desumpta?
- 2 Nominis Rei hic intelliguntur etiam officia, negotia, facta, acta &c.
- 3 Res ad aliquem non pertinere, & ei se immiscere dicitur, qui invadit rem alienam.
- 4 Qui exercet actum de jure vi status prohibitum: Clericus chirurgiam exercens, secuta morte est irregularis: ibid.
- 5 Item, qui invadit Dominum negotium illius assumit: Vel Jurisdictionem alterius exercet.
- 7 Item falsò jactans scientiam vel artem, quam non callet, qui etiam ad restitutionem scilicet damni tenetur.
- 8 Item qui ex ambitione Dignitates & Officia Ecclesiastica obtinent.
- 9 Ponitur versus sensus Regulae:
- 10 Quae fallit I. In casu nec sibi sitis:
- 11 II. Quando quis requiritur alterius negotium agit.
- 12 III. Vel irregularis utiliter agit.
- 13 Si alius ad rem habitis & peritus est.
- 14 IV. Si alterius negotio etiam contra prohibitionem illius immiscet, ut illum ab interitu eruat.

Hec Regula desumpta videtur ex c. Tria, 10. de
Homicidio, etque concordat Regula 36 ff. de
R. J. ita sonans: Culpa est, se immiscere rei ad se
non pertinenti.

2. Queritur I. Quomodo haec Regula intelli-
genda? & quis proprius illius sensus sit? Resp. I.
Nomen Rei in Regula intelligendam esse in sensu
lato, ita ut non tantum res illa, quae ad aliquem
Jure proprietatis pertinet, sed etiam officia, negotia,
admirationes, munera, iudicia, sententiae,
aliqua facta & acta nomine rei hic comprehendantur,
prout cum communi aliorum bene observat
Pech. hic n. 1. & Tacinus ibid.

3. Verba autem, quae ad eum non pertinet, iidem
modis intelligi debent, quibus modis res quaer-
tam ad aliquem pertinere dicitur: ut proin sicut variis
modis res ad aliquem pertinere potest, v. g. quia
verum illius dominium & proprietatem habet,
vel usufructus rei illi competit, vel ratione offi-
cii, numeris, status, administrationis, tutelae, obedi-
entiae &c. sic iidem modis res quaedam ad aliquem
non pertinere possunt, ac per consequens ille dicitur
se culpabiliter immiscere rei ad se non pertinenti
r. qui rem alienam invadit, vel possessionem vacantem
propria auctoritate capit; quia omnes scire debent,
id, quod suum non est; ad aliam omnibus modis
pertinere, L. fin. C. Unde vi.

4. Qui exercet actum, vel ei se immiscet, qui
ille ratione status non competit, sed Jure prohibi-
tus est, ut si Clericus sagittarium agit can. Clerico,
dist. 50. vel artem chirurgicam exercet c. Tria, de Ho-
micidio, ibi enim dicitur, quod Monachus multum de-
liquit alienum officium usurpando, quod sibi minime

congruebat, ubi etiam decernitur, quod Religiosus chi-
rurgiam exercens, si ex ea mors sequatur, irregularis
sit, etiam si sit peritus & diligens, & hoc fecerit causa
pietatis, ut ibidem luminarium habet.

3. Qui directè vel indirectè physice vel mora-
liter, invito vel prohibente Domino aut eo, ad
quem pertinet, negotium illius assumit, gerit aut ei se
immiscet, culpabiliter agit, ac nec stipendium, nec
honorarium meretur, nec factos sumptus repetere
potest, etiam negotium bene, & in utilitatem Do-
mini gesserit L. fin. C. de Negot. gest.

4. Qui alterius jurisdictionem exercet, vel illius
praesentium vel non requiritur officio se ingerit,
per Jura allegata, & l. Culpa, 36. ff. de R. J.

Et praecipue, qui simulat, scilicet, vel proficitur
scientiam vel artem v. g. scientiam juridicam,
theologicam, Medicam, chirurgicam, mechanicam,
quam non callet, indeque ad officium aliquod hujus-
modi scientiam aut peritiam artis requirere se intra-
dit vel ad illud intutu ejusdem assumitur. Dymus hic.
Glossam cap. ad aures, de auro & qualis, Barb. eod. n. 2.
Strein. ibid. n. 2. Tacinus. nu. 2. cum communi alio-
rum merito doctentiam, hujusmodi tam in praesentia
quam prioribus numeris rei alienae culpabiliter se
immiscet etiam ad restitutionem tenetur, & ali-
quando publicè posse puniri posse, si exinde damnum
sequatur. l. Item Juris. 3. §. Multonem & l. sequenti
ff. ad legem Aquil. junctà l. illicitis 6 §. Si autem, 7.
ff. de operibus Praed. Ratio est; quia revera ad illam
non pertinet officium minus vel negotium, qui re-
quisita ad illud scientia vel peritia caret, consequen-
ter illud assumens rei alienae, quae ad eum non pertinet,
culpabiliter se immiscere, & poena dignus esse
censeatur. Nec exorbitat ipsam in officio vel munere
jam existentem prius notat inhabilitas vel infirmitas;
quia, ut merito dicitur c. l. Idem Juris. Nec videtur
iniquum, si infirmitas culpa adnumeretur, cum
affectare quisque non debeat, in quo intelligit, vel in-
telligere debet, infirmitatem suam alius periculosam
futuram, & c. l. Illicitus §. 7. Medico, quod per imperitiam
humanae fragilitatis d. l. eum decipientis in periculo
hominis imoxium esse non debet.

Ad culpabiliter se immiscetens rei alienae ad se
non pertinenti, praesertim ad speciem in n. pre-
ced. allegatorum, omnium maxime jure merito ex
S. Chryso. Lib. 4. de Dignit. Sacerd. reducitur Strein.
hic n. 1. Regulares & saeculares Clericos, qui praesertim
minus apti dignitates & officia honorifica eccle-
siastica ambiunt; quia haec ad illos plane non pertinet,
cum per Jura illis indigni habeantur. Hinc S.
Chryso. loc. cit. ait: Nullus relinquitur excusationi
locus in his, quae postea commisit is, qui se ad suscep-
tionem honoris illius opportunum spondet; nec potest
ultra dicere, quia invitus hoc aut illud fecit, aut in-
vitus in hoc deliquit: Respondetur enim illi d. Ju-
dicez, cur conscius tibi tam grandis infirmitas (aut jux-
ta l. 8. & 9. ff. ad leg. Aquil. imperitiae vel infirmitatis)

Regula XIX. Non est sine culpa, &c.

tatis) ausus esse accedere officium, quod vires tuas
superat? quis te coegit? Hoc servium etiam illa,
quae de Pastoribus animarum, & ambientibus har-
um officia dixerunt ad Regulam decimam apposi-
tam quinto Decretalium.

9. Resp. II. Sensus genuinus Regulae sequens est:
Qui rei, quae ad eum non pertinet, se immiscet, id
est, qui rem alienam, in qua nil Juris habet, in-
vadit: ut negotio vel officio contra prohibitionem illius,
ad quem pertinet: vel quod ratione propriae imperitiae
aut inhabilitatis: vel intutu praesentis status sibi non
congruit, se ingerit, culpam committit, ac propterea
non tantum ad restitutionem, damnae inde secuti
restitutionem tenetur, & conveniri valet: sed etiam
poena publicè pro culpa & circumstantialium quali-
tate officii potest. Per Jura & rationes allegatas: qui-
bus accedit, quod qui sic agit, illicitè & culpabiliter
agat, sicque pro exigentia culpae etiam poenam me-
reatur, c. Tria, 10. de Homicid. e. Sententiam. 9. Ne
Clerici vel Monachi, junctà l. 8. & 9. ff. ad l. Aquil.

10. Queritur II. An, & quae Regula XIX. patitur
Fallentia? Resp. Eam fallere in sequentibus, &
quidem I. In casu necessitatis: hac enim urgente
etiam Clericus & Monachus possunt exercere artem
chirurgicam vel medicam alias ratione status sibi
prohibitam, consequenter ad se non pertinentem,
v. g. incisionem, vel additionem facere, experimen-
tò probatam medicinam suadere & praebere, ut ali-
quae omni culpae vel irregularitatis periculo, si alii pe-
riri in arte desini, vel venire & juvare detrectant.
Navar. in Manu. cap. 25. n. 110. Sanch. lib. 6. Moral.
cap. 14. n. 18. Laym. Lib. 3. tr. 3. p. 3. cap. 10. n. 3. Covar.
in Clement. Si furiosus, p. 2. §. 4. n. 9. Strein. hic. cum
communi aliorum, e. quod in lege 4. de R. J. ibi:
Quod in lege non est licitum, necessitas facit licitum.
Et Ratio est; quia in casu necessitatis lex humana
cedere debet legi divinae & naturalis, quae vult, ut
proximo in necessitate succurratur.

11. Fallit 2. In casu, quo quis requisitus alterius ne-
gotium vel officium peragit, dummodo conditioni
status non incongruum sit. Ratio est; quia non de-

bet al' cuiusvis officium accipere praesertim esse damnosum
ut dicit c. Cum non 30. de Elect. in 6. Nec recet,
si alter per accidens exinde damnus patitur; quia
tunc non tam ex parte generatis seu praesentis alie-
num negotium vel officium, quam ex parte requi-
rentis adesse videtur culpa, ex qua propria si quis
damnus sentit, de jure sentire non censetur. l. quod
quis ex culpa, 203. ff. de R. J. ibi: quod quis ex culpa
sua damnus sentit, non intelligitur, damnus sentire.

Fallit 3. universaliter, quando quis ad rem alias
habilis & peritus, & irrequisitus non in propriam,
sed alterius, praesertim absentis, commodum & la-
crum negotium illius sibi ratione status non incon-
veniens utiliter gerit vel peragit. Strein. hic n. 4.
Gloss. hic v. Non est sine. id probans ex variis Juris-
bus: & Ratio est; quia hominis interese, ab homine
affici beneficiò, l. Servus, 7. ff. de servis export.
ibi: cum beneficiò, officio hominem interese hominis, ob
quam rationem Gloss. loc. cit. etiam infert, eum, qui
alienum negotium utiliter gerit, non se immiscere
rei alienae ad se non pertinenti, cum ad eum suò
modò, lege humanitatis videlicet, pertineat. l. Non
tantum, 6. ff. de appellat. & Relat. unde ei etiam
competit actio, & eidem debent restitui facti sum-
ptus saltem in eo, quod utiliter gessit, texta claro l. 2.
ff. de Negot. gestis non item pro eo, quod in utiliter
gessit. arg. cit. l. 2. ibi: si utiliter gessit. hinc etiam
ad initium hujus fallentiae notanter dicitur, qui uti-
liter gerit.

Dicitur ulterius notanter ibidem: Ad rem aliis
habilis & peritus: inhabilis enim ac imperitus se
alieno negotio immiscens semper in culpa, & si
damnum sequatur, restitutioni obnoxius est, per
Jura & rationem n. 7. allegata.

Fallit 4. in casu, quo quis alieno negotio etiam
contra prohibitionem illius ad quem pertinet, se im-
miscet, ut eum ab interitu alias secutor servet. Gloss.
loc. cit. arg. l. Non tantum, 6. ff. de appellat. & Relat.
ubi habetur, quod locò condemnati ad mortem qui-
vis, etiam contradicente condemnato, appellare
possit, & exigente lege humanitatis audiendus sit.

REGULA XX.

Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.

SUMMARIUM

- 1 Regula unde desumpta?
- 2 Est intelligenda de solo Reo, non item de Actore.
- 3 Cur Reus pluribus defensionibus, & non actor plu-
ribus actionibus uti valeat?
- 4 Reus non simul, sed successive plures exceptiones
contrarias adhibere potest.
- 5 Etque non omnes absolute, sed disjunctivè veras
esse dicere habet.
- 6 Ponitur versus sensus Regulae.
- 7 Solvitur obiectio: & seq.
- 9 Reus appellans, assumit personam Actoris, & non
potest amplius uti pluribus defensionibus.
- 10 Fallit Regula in Reo negante se servum habere:
- 11 Vel quadrupedem possidere:
- 12 Vel pecuniam sibi numeratam:
- 13 Vel scripturam suam esse:
- 14 Vel Pignus sibi datum, si desuper conventus, &
de mendacio convictus fuerit.

etiam alia defensione uti, nisi lex impediat.

Queritur I. Quomodo haec Regula intelligenda
da, & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Eam
de Reo duntaxat, non autem de Actore intelligen-
dam esse, ita ut licet reus pluribus, illicque diversis
defensionibus & exceptionibus sese, utque Jura con-
tra Actorem tueri valeat per Jura citata, Actor ta-
men plures actiones super eadem re contra reum
adhibere non possit, sed si plures ad manum forent,
unam duntaxat ex illis eligere, & in eadem perma-
nere debeat juxta unanimum DD. textu claro cit.
l. Nemo ex his, ff. de R. J. ibi: quoties concurrunt plu-
res actiones ejusdem rei nomine, una tantum quis ex-
perviri debet. & l. quod in herede, ff. de tributaria ac-
tione, ibi: Eligere quis debet; qua actione experia-
tur, utrum de Peculio, an tributaria; cum scit, sibi
regressum ad aliam non futurum.

Ratio autem, cur Reo plures diversae defensiones,
non verò Actori plures actiones de Jure concedan-
tur, iuxta prolixus & aequa est: Tum, quia defen-
sio est Juri naturalis l. Ut vim, 3. ff. de Justit. & Jur.
quae autem hujus juris existunt, magis favorabilia
sunt §. penult. Instit. de Jure naturali, prout etiam
in specie causa Rei favorabilior est, quam Actoris
juxta Regulam XI. de R. J. & dicta ad eandem su-
pra. Tum, quia actor pro suo libitu actionem omittit

Hec Regula desumpta est ex l. Nemo, 8. ff. de
Exception. ubi dicitur: Nemo prohibetur plu-
ribus exceptionibus uti, quavis diversae sint: cui
etiam concordat Resp. Nemo ex his, 43. ff. de R. J.
ibi: Nemo ex his, qui negant se debere, prohibetur
Reiffenstuel Jus Can. Tom. VI.

vel instituire, aut differre, interea autem totis viribus se preparare, presentes & absentes Jurisperitos consulere potest: quo favore reus non fruatur, utpote qui citatus ad iudicium, inpreparatus quoque ac inopinato tempore sibi prescripto comparere & respondere debet. *l. Purè. §. §. fin. ff. de doli malè except.* etiam Jurisperiti necdum consultis: ad quam inæqualitatem tollendam reo plures defensiones, actori verò una tantummodo actionis species conceduntur. *Taccin. hic. n. 1. cum communi aliorum.*

Verùm dum Regula prærens & alia Jura Reo permittunt plures defensiones etiam contrarias, ulterius ita intelligenda sunt, non ut plurium exceptiones contrariæ simul, sed successivè in iudicio admittantur, quatenus si una non proficit, vel probata non sufficit ad aliam recurrere liceat exceptionem vel defensionem. *Gail. de Pace publ. lib. 1. c. 18. n. 6. Peck. hic. n. 7. & Strein. n. 2. Zoëf. in cit. Reg. Nemo. circa finem. Barb. h. n. 3. cum communi aliorum. arg. c. Imputari. de fide Instrum.*

Notandum etiam Reo est, ut, dum plures exceptiones, vel defensiones diversas & contrarias etiam successivè adhibet, non asserat, eas omnes esse absolutè veras; cum id repugnet nature, sed esse veras conditionate, seu disjunctivè vel alternativè in hoc sensu, quòd; si una non est vera, saltem altera vel tertia sit vera: v. g. si acularis hominem à te fuisse occisum, tu verò excipiendo negas: potes nihilo minus postquam convictus es, aliam exceptionem adhibere dicendo, te cum moderamine inculpate tutelæ ad defendendam propriam vitam fecisse. Vel si actor in iudicio fundum, quem possides à te petit, excipere & defendere te potes dicendo successivè, illum tuum esse, quia emisti eum, vel quia tibi donatus est, vel quia jam legitime præscripsisti. *Covar. Lib. 1. varior. Resolut. cap. 5. n. 3. Menoch. Lib. 2. præsumpt. 42. n. 1. cum aliis. In quo sensu intelligendus esse videtur Barb. ad hanc Reg. n. 5. ubi dicit, non posse ream uti pluribus exceptionibus ita sibi contrariis, ut juxta rectum sensum simul veræ esse non possint: aliàs enim doctrina Barbose Juri, & Regulis illius diversas exceptiones admittentibus esset contraria, Reisque multum odiosa; cum præfate diversæ exceptiones simul sumptæ absolutè veræ non sint, bene verò in sensu alternativo, seu disjunctivo & conditionato supra jam explicato.*

Resp. II. Verus sensus Regulæ hic est: *Nullus Reus in iudicio convenus prohibetur pro eadem re, vel jure suo conservando plures etiam diversas, & sibi contrarias adhibere exceptiones, non quidem eas simul & semel, sed successivè proponendo, ac successivè dicendo, quòd si una non sit vera, vel insufficient existat, saltem altera, vel tertia vera & sufficiens maneat.* Per Jura & rationes allegatas: Exempla plura ex jure asserit Gloss. hic & Dynus: habes etiam aliqua supra n. 5. posita.

Objicitur contra Regulam & sensum illius 1.

c. Veniens. 19. de Prescript. ubi exceptio præscriptionis fuit rejecta, quia prius jam alia, privilegii videlicet exceptio fuerat adhibita. Resp. In hoc capitulo non Rei, sed actoris exceptionem fuisse rejectam, cum juxta dicta n. 2. actor pluribus exceptionibus uti non possit.

Objicitur 2. commune illud Brocardicum: *Contraria allegans non est audiendus. arg. c. Imputari. 13. de fide Instrum. cum concord. Resp. illud intelligendum esse de Actore. l. 1. C. de Furtis. non autem de Reo, utpote cui de jure naturali competit, ut omni, quò potest, modo se defendere, damnumque & injuriam avertere valeat. l. in vim. 3. ff. de J. & J. dummodo contraria non simul proponat. c. Imputari. de fide instrum. ubi rejicitur, qui scripturas contrarias simul produxit.*

Objicitur 3. Species quedam exceptionis etiam Appellatio est; sed reo appellanti non licet contrarias exceptiones adhibere. *arg. l. si Procuratorio. 2. §. 1. ff. quando appell. Resp. Ream appellando asserere personam Actoris, cui, quia in prima instantia una tantum actione experiri licet, per Jura n. 2. allegata, multò magis ad id tenetur in secunda instantia.*

Queritur II. An, & quas Fallentis Regula hæc XX. patiat? *Resp. Eam fallentis subjectam esse clarè patet ex cit. Reg. 43. ff. de R. J. quæ, dum dicit, Reum pluribus uti posse defensionibus, addit, nisi lege prohibeatur: Lege autem subinde prohibita est etiam, reo plures adhibere defensiones; consequenter Regula fallit t. quando quis conventus de noxa fervei negat, se habere servum in potestate, convictus enim de mendacio non amplius auditur. l. quovis. 21. §. fin. ff. de Noxali.*

Fallit 2. si conventus de pauperie quadrupedis negat, se habere quadrupedem: convictus siquidem alia exceptione uti nequit. *l. 1. §. 15. ff. Si quadrup. pauper.*

Fallit 3. In casu quo quis conventus, ut pecuniam sibi mutuò datam, & à se jam solutam solvat, negat, sibi pecuniam unquam fuisse numeratam; convictus enim de mendacio non amplius auditur. *textu claro Auth. Contra. C. de non numerat. pecun.*

Fallit 4. Et ad ulteriorem exceptionem non admittitur, si debitor conventus negat propriam scripturam in qua debitum continetur: in quo sicut & priori casu Reus conventus postea convictus insuper in duplum condemnatur. *cit. Auth. Contra: ibi: Contra, qui propriam scripturam, quâ conventur, abnegat, vel numeratam inficiatur, convictus in duplum condemnatur &c.*

Fallit 5. Si creditor conventus de pignore, se pignus habere negat, cum habeat; convictus enim in hoc de mendacio ad aliam defensionem non amplius admittitur. *Auth. Item possessor. C. qui postior in pignore.*

REGULA XXI.

Quod semel placuit, amplius displicere non potest.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde desumpta?
- 2 Ad eam requiritur primo, ut, quod placuit, non sit contra jus, bonos mores, vel animam. Graviter errant, qui promissa iniqua observant.
- 3 Secundo requiritur, quod liberè placuerit: Et quidem
- 4 Tertio, Externè.
- 5 Quarto, quòd alterius interfit in semel placito

- manere.
- 6 Ponitur verus sensus Regulæ.
- 7 Humana fidei & commercio nil tam congruum, quam verba & promissa servare.
- 8 Declaratur Regula exemplis Juris: & 6. sequ.
- 15 Fallit Regula primò ubi habetur mutuum consensus.
- 16 Secundo superveniente de novo, vel prius non cognita causa.
- 17 Tertio in iis, in quibus licet pantere de Jure, uti

Regula XXI. Quod semel placuit, amplius displicere &c. 43

- 18 In ultimis voluntatibus.
- 19 In contractibus inominatis.
- 20 In contractu Societatis, si vere adhuc est integra.
- 21 In Sententia interlocutoria,
- 22 Et Appellatione.

Hæc Regula juxta Gloss. & Barb. hic. n. 1. dicitur ex l. Sicus. §. C. de Obligat. & act. ubi dicitur: *Sicut initio libera potestas unicuique est habendi vel non habendi contractus (de quibus Regula præcipit procedit) ita renuntiare semel constitutæ obligationi, adversario non consentiente, nemo potest. Quapropter intelligere debetis, voluntarie obligationi semel vos nexos ab hac, non consentiente altera parte minime posse displicere.*

Queritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? *Resp. I. Quamvis hæc verè æqua, rationalis, & pro constantia seu perseverantia in bono plurimum serviet, uti bene advertit Barb. hic: tamen sine requisitis ad eam, ac pluribus limitationibus intelligenda non venit. Primò enim ad eam servandam requiritur, ut, quod placuit, non sit reprobatum à Jure, nec turpe, nec contra bonos mores, aut in detrimentum animarum. arg. c. Penitentes. dist. 55. & c. fin. de Paenitent. ibi: *Penitens facile à vobis pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cum in hujusmodi omni peccato, omnique conventio debeat omnino cessare, nullius penius sum momenti. Quod etiam de aliis est dicendum, quæ observata vergunt in anime detrimentum; Nam etiam iusta legitimas sanctiones, pactum turpe, vel rei turpis aut impossibilis de Jure vel factio, nullam obligationem inducit. est etiam juramentò firmetur; quia Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum; juxta Regulam 58. de R. J. in 6. ut proin graviter etiam Principes errent, qui prætextu hujus Regulæ vel perseverantiae & constantiae in servando semel dato verbo, factio promissa, aut resolutione tenaciter adherent illis, quæ semel promiserunt, condixerunt, resolverunt, statuerunt, quantumvis contra Jura, vel bonos mores, aut in detrimentum animæ, vel præjudicium etiam boni communis militare manifestè appareant, cum tamen potius ea non servandi, quam servandi obligatio certa existat.**

Secundo requiritur ad eam, ut id, quod placuit, scienter, & non per errorem facti placuerit. *Gloss. hic. arg. l. 1. §. 1. & l. 2. ff. de Jur. & fact. Ignor.*

Tertio requiritur, ut, quæ placuit, non sola mente & internè, sed etiam externè, verbò vel factò placeant. *arg. c. Dia. 25. de Sponsal. ibi: Sed necessaria sunt, quantum ad Ecclesiam, verba consensus experimenta, secus in ordine ad Deum; nam valet vorum sola mente liberè emissum.*

Quarto requiritur, quòd alterius interfit in semel placito permanere, & ex illius revocatione vel mutatione præjudicium patiatur juxta Reg. 33. in 6. *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.* ubi Gloss. 7. in alterius, bene intert: ergo à contrario ubi alteri non præjudicatur, mutare licet.

Resp. II. Proprius sensus Regulæ sequens est: *Quod alicui scienter, liberè & justè ita placuit, ut inde jus questum sit tertio, cum hujus præjudicio revocari vel mutari amplius non potest. arg. cit. l. 5. C. de Obligat. & Actio. cui concordat utriusque Juris Regula. Canonici quidem 33. de R. J. in 6. nu. præced. jam allegata: Civilis verò 75. ff. de R. J. Nemo potest mutare consilium suum in alterius injuriam.*

Ratio est: tum quia, sicut commercio & fidei humane nil tam congruum, quam verba & promissa servare. *arg. l. 1. in prin. ff. de Pactis. ibi: quid enim tam congruum humane fidei, quam ea servare, Reiffenuel Jus Canon. Tom. VI.*

que inter eos placere: ita eidem, sequitque de juri naturali nil magis adversum, quam dicta & promissa, sique fidem præsertim in aliorum præjudicium non servare. *l. 1. ff. de pecun. consti. pr. ibi: Grave est fidem fallere &c. Tum quia, cum hæc Regula præcipit in contractibus & promissis procedat, ubi ex utriusque contrahentis consensu, uti & ex promittentis promissione ac promissarii acceptatione oritur obligatio naturalis, eidem cum alterius præjudicio contravenire non licet. arg. cit. l. 5. C. de Obligat. & act. cum Concord.*

Declaratur Regula ulterius quibusdam Juris Exemplis, quæ à Gloss. hic, Dyno & aliis in Regulas Juris scribentibus copiose adducuntur. Sic enim 1. *Judex sententiam definitivam, quam ferre semel placuit, non amplius mutare, aut revocare potest. l. Paulus. 42. ff. de Re judicat.*

2. *In iudicio Actor post contestationem litis invito reo non potest amplius recedere. l. Purè. §. 5. fin. ff. de Doli except. & reus, qui iudicem ut legitimum contestando litam agnovit, illum tanquam incompetentem, vel suspectum recusare non amplius valet. l. Nemo. 4. C. de Jurisdict.*

3. *Sic ex libero benedictio factis juramentis & votis contravenire non licet, c. Quamvis de Pactis in 6. & c. licet. 6. de vot.*

4. *In collationibus & resignationibus Beneficiorum, unum alicui semel collatum est auferri, & alteri conferri non amplius valet. c. Si tibi abjenti. 17. de Præbend. in 6.*

5. *Sic beneficium per resignationem vel cessionem liberè dimissum repeti non potest. can. quàm periculosum. 8. cau. 7. q. 1.*

6. *Sic à Matrimonio, quòd liberè inire, & à Professione religiosa, quam emittere placuit, recedere non amplius licet per dicta in suis Titulis lib. III. & IV.*

7. *Et universaliter in contractibus & conventionibus ritè initis Regulam observare oportet, & eis cum præjudicio alterius contravenire non licet. cit. l. 5. C. de Oblig. & Act. quia, quod semel placuit, displicere amplius non potest.*

Queritur II. An & quas Fallentis patiat Regula XXI? *Resp. Eam fat multas habere fallentias, ex quibus religiosis potiores: ad rem magis servientes, & ex quarum notitia etiam alie cognosci possunt. Fallit itaque Regula Primò & universaliter, quando recessus sit ab eo mutuo consensu utriusque partis. l. Sicut. 5. C. de Oblig. & Act. exceptò Matrimonio & Professione religiosa; cum illud semel consummatum nec utriusque nubentis consensu, nec ista consentiente Praelato & subdito amplius invalidari queant, nisi causa transiit ad aliam Religionem, c. 18. de Regul.*

Fallit Secundo in non paucis, propter supervenientem de novo, & prius non cogitam causam. *Gloss. hic. arg. c. Ut circa. 4. & c. Nulli. 8. de Elect. in 6. ibi: Nulli licere decernimus (postquam in servitio nominaverit al quem, & electio fuerit subsceuta, vel postquam presertim electioni de ipso ab aliis celebrata consensus) ritum super electione ista (nisi ex causis postea emergentibus) impugnavit: vel nisi ei morum ipsius antea electa de novo pandatur improbitas, vel alicuius alterius latentis vitii, vel defectus, qui verisimiliter ignorari poterit, veritas revocetur. Et ratio est; quia quæ de novo emergunt, novò indigent auxilio. c. Postulatis. 4. de Ex. opt. & l. de etate. 11. §. 8. ff. de Interrog. in fine.*

Fallit Tertio in omnibus, in quibus de Jure licet ponere & variare, etiam una sine consensu alterius: sic licet impuberi à Sponialibus contractibus liberè resilire, quando pubertatem adeptus fuerit. c. de illis. 7. & c. à nobis. 8. de Despons. impub. Pariter

à Matrimonio rato nondum consummato resilire, & Religionem intrare permiffum est à Jure. c. *Verum de convers. conjug.* Huic fallentie universalis conformiter

18 Fallit *Quarid* in ultimis Voluntatibus; quia hæc ambulatoria sunt ad mortem. *l. Quod si. 4. ff. de adm. & transfer. legat.* & quidem in tantum, ut de non mutanda ultima voluntate nemo se ipsum adstringere valeat. *l. Si quis. 22. ff. de legat. 3. ibi: Nemo eam sibi eam legem dicere potest, ut à priori ei recedere non liceat.*

19 Fallit *Quind* in contractibus innominatis, quando res adhuc est integra. *l. si pecuniam. ff. de*

Condit. causa data. Item in Deposito. l. 1. §. 2. ff. Depositi.

Fallit *Sextid* in Mandato & in contractu Societatis, si res adhuc est integra, seu si interesse alterius necdum incepterit. §. *Mandatum. 11. Instit. de Mandato. & §. Manet. 4. Instit. de Societate.*

Fallit *Septid* in Sententia interlocutoria, utpote quam Judex, qui eam tulit, revocare potest, cum officio suo ex integro nondum functus fuerit. c. *Cum cessante 60. de Appellat.*

Fallit *Octid* in appellatione, à qua semel interposita appellans pro libito recedere potest. c. *Si quis libellos. 28. C. de Appellat.*

REGULA XXII.

Non debet aliquis alterius odio prægravari.

SUMMARIUM

- 1 Regula unde desumpta?
- 2 Quomodo intelligenda?
- 3 Ponitur versus sensus illius:
- 4 Et probatur.
- 5 Ratio Regule.
- 6 Obijciunt ex Scriptura:
- 7 Ex Jure Canonico:
- 8 Et Civili, quòd propter peccata aliorum puniuntur innocentes.
- 9 Respondetur, quare Deus ob peccata aliena puniat aliquos.
- 10 Jus Canonicum id facit propter utilitatem publicam:
- 11 Sicut & Jus Civile.

Hæc Regula desumitur ex *l. Si quis. 33. §. Legis. C. de Inoffic. Testam.* cui etiam concordat *l. Sancimus. 22. C. de panis. & Regula 155. ff. de R. J. ibi: Factum cuique suum, non adversario nocere debet.*

Quæritur, quomodo hæc Regula intelligenda? & quis versus illius sensus sit? Ante responsum est notandum, Doctores in declaranda hac Regula non convenire; Barbofa siquidem hæc n. 2. vulgarem opinionem, quæ dicit, Regule sensum & intentum esse, ut nullus propter delictum alterius puniatur, id est rejicit, quia in hoc sensu, ut ait, non esset diversa, sed eadem cum sequenti, quæ idem dicit illis verbis: *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus*: non est autem verisimile, quòd Papa Bonifacius VIII duas distinctas Regulas idem significantes ponere voluerit. Verùm hæc Barbofa ratio non videtur stringere; quia uti ex ipsis verbis utriusque Regule liquet, nihilominus quævis earum diversum & distinctum ab alia importat sensum. Præfens enim Regula id principaliter velle videtur, ne quis innocens poenâ, aut damno gravetur propter alterum, quem ob delictum vel inimicitiam, malam vitam, vel ex alia causa odio habet poenam infligens, vel damnum inferens. Sequens autem Regula absolute, & abstrahendo ab omni odio vult, ut nullus sine culpa puniatur, nisi subsit causa; quod in facto contingere posset absque omni odio erga tertium. v. g. ex proprio odio, & aversione, quæ erga innocentem fertur, poenam in Jure non contentam inferens; vel ex proprio interesse, vel ex respectu humano, vel alia minus justa causa. Hinc

Resp. ad quæstionem num. præced. positam: Regula præfens principaliter intelligenda est de poena, gravamine & damno, quod inferitur innocenti propter odium, quòd injustè damnificans vel gravans ex quacunque causa fertur erga tertium, v. g. cognatum, amicum, fratrem, filium, parentem, servum familiarem innocentem; ut proin versus sensus Regule sequens sit: *Nullus innocens potest affici vel gravari poena aliqua damno, vel alio incommodo propter odium quo injustè gravans ex quacunque tandem causa fertur erga tertium v. g. consanguineum, amicum &c. familiarem inno. entis.* Sic in sensu isto Regulam intelligit Caramuel in *Theolog. fundament. n. 764. Strein. hæc. & alii.*

Probat hic sensus præcipue per *l. Si quis. 33. §. Legis. C. de Inoffic. Testam.* ex qua desumpta habetur Regula, ibi enim propter rationem hujus Regule corrigitur lex antiqua, quæ permittitur filium innocentem exheredari à Matre præcisè ob odium, quod gerebat erga maritum, ex quo infans progenitus erat, illis verbis: *Hoc iniquum judicantes, ut aliend. odib. aliquis prægravetur.* Idem sensus clarè desumitur ex *l. Sancimus. 22. C. de panis. ibi: Sancimus, ibi esse poenam, ubi noxa est. Propinquos, notos, familiares, procul à calumnia submovemus, quos reos sceleris societas non facit. Nec enim affinitas, vel amicitia nefarium crimen admittunt. Peccatum igitur suos tenent auctores, nec ulterius progrediuntur, quam reperitur delictum. Hoc singulis quibusdam judicibus intimum. Concordat *l. Crimen. 26. ff. de Panis. ibi: Crimen vel poena paterna nullam maculam filio infligere potest; nam unusquisque ex suo admisso sorti subjicitur.* Huc facit & ob eandem rationem, si Compromissarius eligat indignum, potestas eligendi redit ad eligentes, & ipse solus puniatur, non verò compromittentes, quos illius odio non convenit prægravari, ut poenam suam auctorem tenent juxta Regulam 155. ff. de R. J. supra n. 1. jam citatam. Item illud *Ezech. cap. 18. v. 20. ibi: Anima, quæ peccaverit, ipsa moriatur: filius non portabit iniquitatem Patris, & pater non portabit iniquitatem filii. sicut nec uxor conetur pro marito. l. 2. & 3. C. Ne uxor pro marito.**

Ratio præter jam in textibus expressas ulterior est, quia justitia commutativa & distributiva exigunt, ut jus suum cuique reddatur, innocentes ab injuriis & injustis damnis, aut gravaminibus defendantur, nocentes & rei puniantur, promeriti verò condignè præmierentur: quod non fit, si plerè innocentes ex præcisè odio erga alium, ejusque delicta damnificentur, gravantur, puniantur, aut alia incommoda sustinere coguntur.

Verùm quantumvis justa & æqua ex dictis appareat Regula nostra, tamen graves patitur instantias tam ex Scriptura sacra, quam utroque jure. Ex sacris enim paginis habemus propter unius vel plurium delicta etiam alios innocentes à Deo fuisse poenitis. Sic enim tacendo plura alia exempla, propter scandala suorum filiorum populum à sacrificio retrahentium

Deus

Regula XXII. Non debet aliquis alterius odio &c. 45

Deus Heli illorum patrem è civis suffulit. *1. Reg. cap. 4. v. 18.* & propter peccatum David populum superbè numerantis, de populo innocente à Dan usque Bersebee septuaginta millia virorum seiva peste delevit.

7 De Jure Canonico à Patre & Matre hæreticis filii & nepotes innocentes catholici procreati à Beneficia ecclesiastica & officia publica inhabiles existunt c. *Quicumque. 2. §. Hæretici. & c. Statutum. 9. de Hæreticis. in 6.*

8 De Jure Civili autem propter crimen læsæ Majestatis etiam innocentes filii infames evadunt, atque à materna, avitæque & propinquorum successione excluduntur. *l. quisquis. 5. C. ad Leg. Jul. Majest.*

9 Respondetur tamen & quidem ad exempla sacre Scripturæ, inprimis à Deo nullum innocentem poenâ æternâ, vel aliâ animæ nocivâ puniri: temporali tamen quandoque propter unum etiam alios affici, vel quia, etiam si appareant, tamen reverso innocentes non sunt, sed ejusdem criminis coram oculis divinis directè vel indirectè rei existunt, ob quod merito puniuntur, uti contingit in Heli, qui debet corrigere filios negligens, etiam illorum criminum factus est particeps. Vel, quia licet innocentes in uno, in multis tamen aliis peccatis rei coram Deo inveniuntur, indeque justè puniuntur. Vel, quia innocentes aliquo modo ut filii ad parentem, subditi ad principem pertinent, puniuntur, ut delinquens poenam æcerbius sentiat, dum interea alii, si poenam ob peccata alterius commissa à Deo immittam in his innocentes patienter sustinent, alia sua peccata extinguunt, animæ dona, gratias & merita sibi cumulant, & salutem æternam facilius conse-

quantur, sique ex hujusmodi poena plus lucri, quam damni acquirunt, ac propterea afflictiones à Deo immittæ respectu delinquentis duntaxat nomen vere poenæ: respectu illorum, qui propter alium patiuntur, nomen medicinæ doni & boni spiritualis meretur juxta *D. Thom. 1. 2. q. 87. a. 1.*

Ad dispositiones Juris Canonici respondetur, per illas propter alios puniri in nonnullis etiam innocentes non tam odio erga illos v. g. hæreticos parentes, quam favore cultus divini, ecclesiæ, & communis utilitatis ejusdem, quæ exigit, ut non nisi ab omni suspitione mali alienos habeat ministros, quales non sunt illegitimè nati, & hæreticorum filii, utpote de quibus non immeritò metuit Ecclesiæ, ne imitatores sint incontinentiæ & perfidiæ paternæ. *cit. l. quisquis, §. filii veri. C. ad Leg. Jul. Majest.*

Ad leges civiles respondetur, eas quoque non tam odio delinquentis, quam curâ & amore boni communis & publici poenâ in aliquibus afficere innocentes ad avertenda graviora, bonoque publico magis nociva, præsertim læsæ Majestatis crimina, quatenus quisvis sciens, hujusmodi crimina etiam in filiis innocentibus tam graviter puniri, ab his committendis magis & efficacius absterreatur.

Quod si alicui hæc repositiones iniquis placeant, & per Jura in aliquibus casibus nonnullis etiam aliorum odio contra Regulam gravari contendat, respondetur, Regulam fallere in casibus, in quibus ob odium erga unum etiam alium ex justa causa boni publici gravari vultur: ut proin hæc Regule non minus ac sequenti apponi valeat exceptio: *Nisi subsit causa.*

REGULA XXIII.

Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.

SUMMARIUM

- 1 Regula quomodo intelligenda?
- 2 Ponitur versus sensus illius.
- 3 Sine culpa non datur poena. ibid.
- 4 Nisi ob causam boni communis.
- 5 Declaratur exemplis Juris Canonici:
- 6 Simonie ab alio commissæ poenam quis non incurrit, si isto prohibente, vel protestante committitur. ibid. §. Et Civitis.

Quæritur, quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis versus illius sensus sit? Resp. I. Sicut præcedens Regula vult, ut nullus innocens puniatur, injustè gravetur, damnum vel incommodum patiat propter præcisè ex odio alterius: sic præfens universaliter, & abstrahendo ab omni odio dispositum indicat, ut nullus puniatur sine culpa ex quacunque tandem minus justa bonam commone non concernente causa, v. g. ex interesse proprio, ex respectu humano, ex amore erga alium forsitan inimicum puniri seu puniendi &c. Si quidem per verba: *nisi subsit causa*: Regula non nisi justam, & bonum commune concernentem causam intelligit juxta dicenda infra n. 2. & 3. Hinc

Resp. II. Versus sensus Regule hic est: *Nemo est puniendus vel gravandus ob aliorum actus commissio-* nem vel omissionem, *qua dolo & culpa vacat, nisi ex justa bonum commune seu publicum concernente causa.* Primæ partis, ut nemo sine culpa puniatur, ratio est; quia ubi non est noxa, ibi non est poena. *l. Sancimus. 22. C. de Panis. ibi: Sancimus, ibi esse poenam, ubi est noxa. siquidem poena est noxæ vindicta. l. aliud. 131. pr. de Verb. Sign. ac insuper poena est mensura culpæ juxta illud Deut. 25.*

Juxta mensuram peccati erit plagorum modus: Hinc ubi nulla culpa, nulla quoque esse debet poena. c. *Cognoscetes. 2. de Constit. ibi: Rem, qua culpa caret, in damnum vocari non convenit.* huc quadrat etiam illud S. Augustini effectum *lib. 2. Retract. cap. 6. ibi: poenâ, si justa est, peccati poena est, & supplicium vocatur.*

Ratio secundæ partis, seu potius exceptionis, videlicet, quòd quis etiam sine culpa ex justa bonum commune concernente causa, seu propter utilitatem publicam puniri vel magis propriè loquendo, gravari, & incommodari valeat, hæc est; quia bonum commune, seu publicæ & communis utilitatis est præferenda privatæ: consequenter, si illa exigit, ut privatus etiam sine culpa, puniatur, gravetur, damnum temporale sentiat, hic meritò sustinere debet. *arg. l. penult. ff. ad leg. Cornel. de Sicar.* ubi ad sedandum tumultum decurro inconsulto Principe decapitari potest, quod aliàs sine consensu Principis fieri nequit: cum Concord.

Declaratur & firmatur Regula alterius exemplis ex Jure desumptis; Sic enim præter ea, quæ ad præced. Regulam n. 7. & 8. adduximus, ex utroque Jure alterius beneficium dimittitur tenetur, qui illud acquisivit per Simoniam ipso ignorante ab alio commissam. c. *Nobis 27. de Simonia.* (nisi impetrans expressè prohibuerit, vel protestatus fuerit, ne aliquid temporale detur pro beneficio: textu expresso c. *Sicut tuis. 33. de Simon.*) quia communis Ecclesiæ utilitas requiritur, ut summe eidem nocivæ simonice vitium omnibus odio fiat, indeque magis extirpetur. Sic innocens uxor sine culpa puniatur, suoque jure conjugali privatur. *arg. c. quoniam. 5. §. Si autem, Ut lite non contestata. ibi: quoniam*

F 3